SCHOLÆ PHYSICO MEDICÆ IN VERIDICAS THESES REDACTÆ.







MESSANÆ
1663

SCHOLÆ

PHYSICOMEDICÆ,

IN VERIDICAS THESES
REDACTÆ,

Quæ

A IOSEPHO PATTI MAMERTINO
Philoſophiæ, & Medicinæ Doctore,

CORAM
Illuſtriſſimis
SENATORIBVS
Nob. & Exempl. Vrbis
MESSANÆ,

PVBLICO EXPONVNTVR CERTAMINI.





MESSANÆ, ex Typogr. Illuſtriſs. SENATVS
Apud Paulum Bonacota, 1663.
Superiorum permiſſu.

ILLVSTRISSIMIS
Nobilis, & Exemplaris Vrbis
MESSANÆ
SENATORIBVS

D. RAPHAELI GOTHO EQVITI MILITARIS ORDINIS STELLAT.
D. IOSEPHO BALSAMO, ET VIPERANO BARONI CARTAFII,
CAROLO STAYTI,
IO: FRANCISCO PELLEGRINO,
D. CONSTANTINO DE MARINIS EQVITI MILITARIS ORDINIS STELLAT.
IO: AVGVSTINO DVCI,

Patriæ Patribus benèmerentissimis,

IOSEPH PATTI PHIL. ET MED. DOCTOR
FELICITATEM.

ROmani Parentes Imperij (SENATORES ILLVSTRISSIMI) Vestalis Virginis vix è materno vtero prodeuntes, lupa nutrix excepit: Crimen emendatura modestia feris furtiuos partus obiecit: sed quas expectauit

culpæ vindices, pias habuit altrices; & quos illa mortis destinauit arbitrio, vberibus ista, tutelâq; seruarunt Imperio. Non absimilem trahunt cum Romulo, Rhemoq; Istæ Theses originem: Ingenium enim secreto non minùs, quàm furtiuo labore progenuit; Mea, quæ celare partus non poterat, voluntas exposuit. Ni ferarum morsus, & vngues experiantur, vestrum implorant patrocinium: Amorem vestrum pro mammilla imperfecti sapiĕtiæ fœtus sugere sūmoperè auent. Innocentiæ, qua sola balbutiunt, numen vestrum tutelare debetur; Assurgent itaq; fortitèr, & fortibus animatæ principijs, Medicinæ regna communient: quin Orbem ipsum circumscriptum in homine, nè fractus crebrâ morborū obsidione dilabatur, enixiùs sustinebunt. Tantis vltrò delinitùs auspicijs, quæ vestra (Senatores Illustrissimi) mihi videtur portendere dextera, vestra pietas augurari; hoc qualecunque tenuissimi opus ingenij vobis offero, vobis dico.

PRÆ-

PRÆFATIO. 5

HAerentem credo (Senatores Illustrissimi, Auditores Nobilissimi) medijs in vndis Nauiculam, diuersis agitatam impulsibus nostra vbi freta sinè Typhi, callido sinè Magistro tentare præsumpsit, sæpissimè vidistis, spectaculo, & lubentissimè interfuistis, opinor; Cum hinc à puppi data vela venti protenderent, hinc è diuerso pelagi sulcari impatiens refluens vnda cum prora luctaretur, alatam videres Argum, dum inflarentur carbasa, dum vela turgescerent, quæ non cærulea verrere, sed peruolare lætaretur: sed alas admireris in scopulo; dum quæ præstitère Noti penna non celerrimam auem efficiunt, sed tardissimum, etsi alatum defigunt in scopulum. Vrgent enim verò flatorũ impetus puppim, remis adnixi nautæ propellunt: sed inania tentant, vndarum immensos vortices charybdis euomuit, qui quàm furenti genitrice nascantur, rapidis preludunt insultibus; quæ vitreo potentia muniantur in Regno, vel hoc vno patefaciũt, quòd non adamantina, sed liquida vndarum catena, quæ libertati, se venti committere gaudent, nauigia vinciunt. Quid faciat miseræ rupis potiùs, quàm Nauis rector in vndis? Typhes hic Mamertinos consulat: deducent in Portum. Quod oculis ipsi fidelibus videtis in freto, hoc in me ipso hodierna luce quidèm experior Auditores; vela enim

in

in Medicinæ pelago me dare cognoſcitis: at me, veluti ventorum phalanges veterum opiniones à tergo ſequuntur. Obſtant à fronte moderni, qui colluctantibus ingenijs charybdis veluti fluctibus, retroagunt, vltró que progredientem remorantur. Vt hos effugiam vortices Typhim, & ego meum conſulam, ſcilicèt, Rationem: hac gubernatrice, & magiſtra deducar in portum. Explicata nanque in hac ingeniorum colluctatione veluti nauigationis tabulâ, quinam palmam in agône reportent, quorum veſtigijs inſiſtendũ mihi foret, oſtẽdet. Pro vtriſq; igitur allatis ritè ſuffragijs, votiſq; diſcuſſis, vtrorumq; cauſam ratio perorabit. Priorem ſibi locum in dicendo ætate, cauſâq; poſteriores obtinuerunt. Hi ſuæ prærogatiuam opinionis habêre, vel ex eo maximè confidunt, quòd in Arte Medica vltimam, vt ipſi aiunt, perfectionem inueniſſe arbitrantur; à qua quantùm diſtet veteres clariſſimo rationis lumine, experientiáq; ipſa comprobari.

Dictitant enim, maximã ſibi Hippocratis, Galeniq; Schola laudẽ vendicare præſumit. An quòd primi hoc Medicinæ pelagus ingenio freti, argonautæ clariſſimi nauigarunt? An quòd Herculeo ſanè labore interminabilem morborum amplitudinem, ſuâ authoritate, veluti columna diſterminante ſignârunt? An verò quòd inextricabilem malorum labyrinthum altiſſimæ mentis fila peruestigarunt? Maximam, inquam, ex eo laudem re-

por-

portabunt; sed quàm id immeritò sibi vendicare videantur, attendite. Concedendum sanè puto aliquid illis, quod Primi malorum voragines prætervecti posteris easdem calcandi semitas arbitrium reliquerunt: non tamèn omne tulisse punctum posterorum iniuria prædicandum. Hi enim, quod illi iter triuerunt, peruiū reddiderunt: quà transeundum esset illi præsignarunt, vt tutò illàc peritissima periculorum obseruatione, isti transirent, effecerunt. Scopulos illi, breuiáq; nec præuiderunt satis; Periculosas isti per vndas difficultatum saxa, syrtesq; ademêrunt. Multum, non inficior illis, quòd terminales veluti columnas in Medicina cōfinio statuerunt, tribuendum: sed si terram omnē, mariáq; omnia in hoc, quod inuenerunt, excludant, multum profectò amittant oportet: cum magnis posterorum laboribus tantos terrarum, marisque tractus Medicinæ imperio adiecta esse videamus. Plurimū, quòd confusissimas Medicinæ vias intrarunt, ascribendū esse consentio; sed quis, oro vos, *illorum, gradu libero ad nos indè remeauit? Non nè ipsos, qui primos se intrasse gauisi sunt cæca domus imperuestigabilis confusio præpediuit? Nonnè ipsi, qui se ab implicito viarum errore extricare non potuerunt, multos secum ijsdem latebrosis recessibus irretierunt? Tanta .n. est in ipsorum dictis obscuritas, tenebræ tantæ, vt oculatissimos quosq; faciant caligare. Non eadem via, etsi eodem filo introgressi Recentiores, quorum in effatis*

fatis tanta claritas extat, lux tanta coruscat, vt omnibus ad horribilem confodiendum morborum originem Minotaurum, patefacta semita videatur. Omnibus, vt altiores terras, Vrbes progrediantur, prapetes alas induere, permissum est: Vt Scyllaam, Charybdicamq; rabiem soporata mẽte pertranseant, omnibus concessum existit. Quid .n. omnem veluti primauo iure, rerum sciendarum sapientiam sibi veteres studeant arrogare? Vt plurimarum ego rerum sciẽtiam illis vltrò concesserim; sic etiam omnium peritiam lubentissimè denegarim. Stultum nanq; omninò est, quod Dei maximum vnius Elogium est, sibi tribuere. Quotquot igitur vobis de sapientia veteres, veterumq; pedissequi plauditis, ab ea, qua intumescitis, cogitatione decedite. Sapientissimi .n. viri Columella ea probatissima, verissimáq; sententia est: etiam quicunq; sunt habiti mortalium sapientissimi, multa scisse dicuntur, nõ omnia. *Plures .n. verò in veritatis pelago vniones expiscati estis, fateor, plurimũ terrarũ spatiũ emensi; Totã Oceani ditescentis familiam, absorbêre, metas vltimas columna Herculea terminare non potuistis. Id etiam ex Stoicorum Principe aliàs vobis suffragante, agnoscite.* Patet, *inquit*, omnibus veritas, nondùm est occupata; Multùm etiam ex illa futuris relictum est. *Ita sanè; cum enim interminata sint cognitionum regiones, infinita propemodùm cognoscendi capacitas; Senescentibus inuentis, inuenta nouitate*

ipsa

ipſa meliora, tutioráq; ſequantur, neceſsè eſt. Citrà iactantiam dico, quod experientia, quod ratio ſua omnibus claritate demonſtrat. Nàm pratèr illam, quâ veteres ſecum ipſi gratulantur, experientiam aliam nouo ſtudio, induſtriáque partam afferentes Iuniores, veluti de duplicato theſauro gloriantur. Nū énim alias, atq; alias rerum cognitiones ingenio diligentiáq; acquiri poſſe denegabitis? nùm ſequentes, vt aiunt, intentiones prioribus, contrà cōmunem dicendi formam nō perfectiores eſſe patiemini? Quid tandèm hoc? An quià, nil vobis rectum, *vt lyrici Poetæ verbis vtar,* niſi quod placuit eſſe videtur? *An quià, quod veſtro ſtudio aſſequi non potuiſtis, id à minoribus diſcere turpè reputaſtis, inficias ibitis? Sed vereor nè in illam Stoici reprahenſionem incidâtis.* Quid, *ait ipſe*, inuidêmus, ſi veritas noſtri tēporis ætate maturuit? *Quòd antèm in eam maturitatem noſtro labore, ſtudióq; Medicina peruênit, morbi, qui mortem inferre corporibus intentabant, morte per medicamina noſtra correpti, moriente voce teſtātur. Per noſtra, inquam, medicamina, non veſtra; quæ triplicâtam corporibus hominū mortem; emaciādo, diluendo, dilacerando inferunt; quibus, cæteriſq; remedÿs, corpore iam extenuato, defeſsóq; adhibitis, an morbus maior inueniatur, addubites? ſed quæ victus ratione, obſeruatione ſedula, temperantia, vires intégras, quibus hoſtilibus incurſionibus obſiſti poſſit, ſanitatem foueant, tueantur. Hæc optima eſt medendi ratio, quam omniū hodiè plauſibus, quam vita ipſa conſeruata, atque reſtituta ſibi mortis ab vnguibus*

 gau-

gaudens accêpit. Cedant igitur rationi veteres experientia, comuni quoq; sententia vita ipsi de se testanti cedant: & nostra hæc documenta veneranda Senectutis candôre venerentur.

Hæc pro Recentioribus ratio: at contrà, quæ pro Senioribus afferat, audiamus. Multa quidem sapientèr, ingeniosè multa, quamuis non ità vera dixistis; Nam, vt ad illud, quod primò loco pro vestra sententia nutrimento collocastis, prima nostræ responsionis tela dirigantur; Non quià primi scopulosas Medicinæ vias enauiganimus, intumescimus: sed de allato remedio mortalĩũ generi, sed de conseruatâ vitâ, nostra industria gloriâmur; Quòd si primos inuenisse summa nobis gloria tribuitur: priores in arte sedes si teneamus, molestè ferre nõ debetis. Nec nobis, quòd nouas in Medicina cognitiones attuleritis, displicet; Cum, quæ pompòsâ nouitate produxistis in medium, è nostro fonte hausta, atq; deducta videantur: nihil .n. scripto, aut ingenio elaboratis, quod mẽtem, chartasque non redoleat penitùs nostras: id nobis iniquo sẽper ferendum est animo, quod tutiores vias illas, quas nullo ductore, magistro nullo tenuistis, ore, non solùm pleno; verùm etiam tumido prædicatis. Tutiores, inquam, quæ nocendi potiùs illa, quàm noscendi peritia? Si tamẽn peritia nuncupanda, quæ, quò perire faciliùs possint homines, edocuit. Quæ dùm spiritum vitreo spiritu retinêre cogit, fragilem alióquin vitã euanescere iubet in auras; quæ dùm vires integras seruare credit, humoribus, sanguinéq; seruato, venenum in venis alit, hostem in arcem includit, vbi

aduer-

aduersis armis morbi robustiùs dimicantes extremũ excidium, ruinam vltimam sæpissimè minitantur. Haeccine tutela est? Imò, & corruptelam dixerim. Hinc non veritatem vos indagâre, istâ, quam vocatis, ingeniorum solertiâ, credam; sed potiùs vanitatem, dum in interitũ, nihilumq; vitam istam experientiâ certâ deducitis. Nolim vos ego Hippocratis telo configere, qui periculosum *omninò* experimentum *appellauit. Nolim Aristotelis gladio confodere, qui sæpiùs adhibitum, incassùm tamèn, experimentũ iterùm repetere pro stultitiâ, reputauit, Illo, illo, vos penitùs enecabo, quod noster contrà vos contorsit Hollerius, dùm contrà noua tentantes, ità scriptum reliquit.* Vndè deducendum à nobis est, in quæ vitæ pericula ægros deducant, & quàm manifestè extoueant, qui ad nouum medendi Methodum, & ad nouum medicamentorum vsum confugiunt. *Verùm ego, quid contrà vos arcum, neruosq; contendo? Quid tutiorem veterum Medicorum disciplinam ex vestrâ infirmitate confirmo? Equidē, si de experientia loquimur, quid veteres intentatum reliquêrunt? Si de securitate medendi: quid illis securiùs? ad quos, vt ad tutissimum portum, ad fidissimam anchoram, ad securum asylum, in rebus dubijs, in periculis, in summo vitæ discrimine confugêre mortales? Si de peritiâ, ingenióq; disseramus: quid illis doctiùs? quid ingeniosiùs vnquàm excogitari potuit? An quemquam ex vestra familia Nouatôres cum Hippocrates, Galenóq; peritiâ, ingenióq; comparari posse credètis? Et quis vnquàm vestrum Medicinæ Deus, vt*

 illis

illis contigisse cognouimus, appellatus nè fuit? At in cõmuni hominum existimatione confiditis; vndè in hoc vos præstare arbitramini? Sed quàm à recto aberretis, videte. Vos primas sedes in cõmuni hominũ existimatione obtinêtis? Quorum? Macedonũ nè, an Lacedæmoniorum? At hos nonnisi veteres corporum, animorumq; Rectores adhibuisse cognoscimus. An Romanorum? Sed quanti apud hos fuerint veteres ex eo, quòd neq; Senatus nomen, nisi vetustate decoratum voluerunt, apertum est: testãte Poeta A Senibus nomen mite, Senatus habet. *An verò ità viri sapientes censuerunt? Sed non fortes ingenio apùd Salustium: non Iuuenum robora, apùd Plutarchum: Non consilij, sapientiæq; fontes senes, apùd Tullium nuncupantur? Apùd eosdem verò Moderni non rerũ omnium destructores, Vrbium euersores, Regnorum pernicies appellantur? Quid? fugit à vobis fortassè Macedonum Regnum, vltimum excidiũ, extremamque perpessum esse ruinam, cum ad Ptolemæum è vetustioribus disciplinis discedentem, deuenisset? quod à Dardaniorum cordatissimo sene, & Rege pranunciatum anteà fuerat. Si ergo populi, si Reges, si Sapientes senum consilio Rempublicam, Regna, virosque tutantur: humanam vitam mortalium rerum præstantissimam gemmam infido Nouatorum arbitrio committemus? Quid non Platonem sequimur? qui bonum Medicum cum Nauclero conferêbat; vt enim hic cana maris, & ventôrum experientia nauim dedûcit in portum, sic ille homines sanitati commendat.*

Hæc sub rationis vexillo Seniores prolocuti triumphasse crediderunt: Credam, & ipse senibus; Portũ enim hinc mihi tenêre videor (Aud.)*veterum rationem, vt Ducem fidissimam prosequutus*. Cum enim facultas nostra non circà ligna, coria, & lapides versêtur, (*vt sapientissimè dixit Galenus*) sed circà Nobilissimum Corpus humanum; & summum impendeat periculũ, dùm experiri aliquid volum⁹, ne corpori tàm præstantissimo noxam aliquam inducamus. *Veterum vestigijs ab infligendâ notâ humanis corporibus valdè distantibus insistendum putaui: vt qui annis, experientiáq; mea non fiderem, alienis auxilijs contutârer; Qui sciam, non tantùm ex illo Poetæ clarissimi testimonio, quòd*

—————— Seris venit vsus ab annis.

Sed è Diuino Sapientis Oraculo, cuius illa Diuinitatis plena sunt verba cap.39. Sapientiam omnium Antiquorum exquiret Sapiens. *Sed si fortè vobis hæc mea sententia non arridet: si à ratione, quæ tàm apertò pro me locuta est, valdè aliena esse videatur, in SENATORVM ILLVSTRISSIMORVM conspectu, in tantâ Sapientissimorum hominum coronâ, vbi quò validiùs oppugnantur, eò micantiùs certæ opiniones elucescunt, argumentorum pondere de hâc veritatis præstantiâ periculum faciamus.*

THE-

THESES PHILOSOPHICÆ.

EX SCIENTIARVM ORGANO.

1 Artificialis Logica, quæ simul liberalis Ars, & scientia speculatiua simpliciter est ad scientias speculatiuas, quantùm ad perfectũ scientiæ statum, & quò ad eius conseruationem, & quasi nutritionem, est simpliciter necessaria; non quò ad imperfectum esse, & quasi primam generationem scientiæ.

2 Eius materia dirigibilis, tanquam operatio, est aliquid reale, sed materia denominabilis ab artificio logico, tanquam obiectum, & res cognita, est quodcunq; cognoscibile per illas operationes intellectus, siuè sit reale, siuè rationis: Forma verò tàm respectũ operationis dirigibilis, quàm respectu rei cognitæ, sub quâ pertinet ad Logicam, est aliquid rationis, non purè fictum, sed habens fundamentum in rebus tanquàm secunda intentio.

3 Vniuersale in essendo rectè definitur, quod sit, *vnum aptum esse in multis*; aliud est Metaphysicum, aliud Logicum; illud solùm habetur per abstractionem intellectus agentis, vel per cognitionem absolutam intellectus possibilis. Istud verò per cognitionem comparatiuã simplicem intellectus possibilis. Datur à parte rei

pro

pro ſubiecto, & materialitèr; non autèm pro formali, ſeu pro vniuerſalitate. Vniuerſalitas énim ſicut, & ſingularitas ſunt prædicata accidentalia naturæ, cum natura ſecundùm ſe neq; ſit vniuerſalis, neq; particularis, ſed tantùm gaudeat vnitate formali negatiuâ.

4 Eſt genus ad quinque prædicabilia; genus autèm rectè dicitur eſſe illud, quod de pluribus ſpecie differentibus in quid prædicatur; in qua definitione definitum formale, & quidditatiuũ eſt ſecunda intentio in concreto, ſed illud, in quo exercêtur materialitèr, & denominatiuè prædicta definitio eſt natura ſubiecta ſecundæ intentioni. Saluari poteſt in vnica ſpecie, vt totum actuale, ſeù quantùm ad naturam, quam actualitèr dicit, minimè tamèn, vt totum potẽtiale, ſed requiritur, quòd aliæ ſpecies ſaltèm ſint poſſibiles.

5 Species ſpecialiſſima de pluribus differentibus numero in quid prædicatur, quatenùs ſubijcibilis non eſt formalitèr vniuerſalis; Eius eſſentia Metaphyſicè, & primò intentionalitèr eſt, eſſe naturam compoſitam ex genere, & differentia vltimò perfectiua. Logicè, & ſecundò intentionalitèr, ſeù quatenùs conſtituit ſecundum prædicabile eſt vniuerſalitas limitata, & coarctata, & ità in ſecundo prædicabili ſubijcibilitas, & prædicabilitas non ſe habẽt diſparatè, nec per accidens concurrunt; ſed ratione fundamenti, vna modificat alteram: ſiquidèm

ex vni-

ex vniuersalitate limitata, & coarctata oritur subijcibilitas immediata ad genus.

6 Ratio essentialis constitutiua substantiæ cõpletæ prædicamentalis est quidditas completa, cui debetur esse per se, & non in alio. Quantitatis propria essentia est ordo, extensio, seù situs partium in ordine ad totum.

7 Datur relatio prædicamentalis in rerum natura, quæ est accidens, quod secundùm totum suũ esse, est ad aliud se habere; distinguitur realitèr non solùm à fundamento remoto, scilicèt substantia, quæ est eius subiectũ quod, sed étiã à fundamento proximo, seù à proxima ratione fundandi. Eius vnitas, vel distinctio specifica tùm à fundamento, tùm à termino habetur; ab illo quidèm initiatiuè, radicalitèr, & quàsi effectiuè: ab isto verò formalitèr, extrinsecè, & completiuè; Eius verò vnitas numerica à subiecto habetur, vndè ad multiplicationem numericam terminorum, non multiplicatur.

EX LIBRIS PHYSICORVM.

8 PHilosophia naturalis, quæ simplicitèr est scientia speculatiua vna specie, pro obiecto ens substantialitèr, & accidentalitèr mobile obtinet. Huius principia intrinseca sunt, quæ nec fiunt ex alijs, neq; ex alterutris, sed omnia ex se ipsis; quæq; in facto esse duo enumerantur materia scilicèt, & forma; in fieri additur pri-

 uatio

uatio; analogicè cum alijs in ratione principij conueniens, illáq; contraria reddens.

9 Datur materia prima, quæ est primũ subiectum, ex quo omnia naturalia fiunt; eius essentia est, esse puram potentiam receptiuam formarũ, omnem excludentem actualitatem; nullamque ex se habentem existentiam; sola nequit étiam de potentia Dei absoluta existere; omnes formas étiam amissas appetitu innato appetit. Ingenerabilis est, & incorruptibilis, principiumq; corruptionis; sola tandèm vnitate negatiua gaudet.

10 Forma substantialis, quæ est actus primus corporis, diuiditur in spiritualem, & materialem: illa per creationem producitur; hæc per eductionem regularitèr, etsi in prima rerum productione formæ elementorum, & Cælorum sint concreatæ.

11 Hinc totum ex materia, & forma essentialitèr constituitur absquè nexu realitèr ab vtráq; distincto: nec ab eis simùl vnitis, & in recto sumptis realitèr, sed ratione ratiocinata, tanquã implicitum ab explicito distinguitur.

12 Natura est principiũ motus, & quietis in eo, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens; conuenit tùm materiæ, tùm omnibus formis materiam informãtibus. Differt ab Arte; quia Ars non est principium motus in eo, in quo est; Differt étiam à violento; quià violentum est à principio extrinseco, passo, vim non conferente.

13 Causa in communi sumpta per hoc, quòd sit id, ad cuius esse sequitur aliud, rectè definitur; ac in Finem, Efficientem, Formam, & Materiã adæquatè partitur. Materialis causa per suã nudam, puramq; entitatem substantialem costituitur, cuius causalitas in facto esse, est ipsamet entitas, & potẽtia materiæ prout connotat, & importat in obliquo aliquas conditiones, & requisita ad causandum. Idemq; proportionaliter de causa formali dicendum est, ad quam reducitur Idea, quæ est conceptus, prout dicit habitudinem ad rem, quæ debet extrà fieri.

14 Causa efficiens physica est, à qua primò incipit motus. Diuiditur in principalem, & instrumentalem. Accidens non potest esse ratio principalis producendi substantiam, benè tamen substantia, quæ non immediatè, sed medijs potentijs coniunctis, absquè actuali influxu agit. Quapropter passiones non dimanant ab essentia per veram actionem mediam, etsi effectiuè; cuius tandem causalitas est actio, vt actus secundus agentis.

15 De ratione instrumentalis causæ est, & vt respiciat effectum nobiliorem se, & operetur vt mota, ita vt illi motio sit tota ratio operandi illius; propriam actionem requirit naturalitèr, vt assumatur; non autem, vt absolutè.

16 Causa finalis, quæ est id, cuius gratia aliquid fit, est vera causa realis: Constituitur in actu primo per suam bonitatem; in actu secundo

per motionem metaphoricam, quæ nihil aliud est, quàm actus voluntatis, vt passiuè pendens ab appetibili, non vt actiuè elicitus à voluntate. Requiritur tamèn appræhensio, vt conditio omninò necessaria.

17 Quatuor genera causarum sunt sibi inuicèm causæ; ac proindè vnaquæque in suo genere est prior. Implicat tamèn eūdem numero effectum posse à duabus causis totalibus efficientibus eiusdem ordinis produci; Sicùt vnam materiam à pluribus formis actuari; eãdemque formam plures materias informare.

18 Motus est actus entis in potentia, quatenùs in potentia; in qua definitione compræhenditur mutatio instantanea, quæ est actus imperfecti, modalitèr à suo termino distinguitur, sicuti ab actione, & passione; quamuis actio trãsiens subiectêtur initiatiuè in agente; terminatiuè tamèn est in passo.

19 Infinitum in actu, seù Cathegorematicum, nec étiam supernaturalitèr dari potest. Data tamèn quacunq; creatura possibili, potest Deus aliam, & aliam essentialitèr perfectiorem producere.

20 Locus est vltima superficies corporis continentis immobilis; & licèt nulla implicatio contradictionis appareat, quòd duo corpora, saltèm supernaturalitèr possint in vno, & eodem simùl loco existere: nullo tamèn modo idem corpus potest in duobus locis circumscriptiuè collo-

collocari. Vacuum verò, quod est locus corpore non replêtus, solâ virtute agentis increati dari potest, in quo motus localis, qui in instāti nō esset, fieret.

21 Tempus est ens reale. Rectè per hoc, quòd sit numerus motus secūdùm prius, & posterius definitur; per indiuisibilia existit; eiusque ab æternitate, & æuo distinctio essentialis, sumitur penès hoc, quòd æternitas sit duratio omninò immobilis. Æuum, duratio rei immutabilis, secundùm substantiam, mutabilis secundùm accidentia. Tempus deniquè rei mutabilis quò ad vtrumque.

22 Ad tria tantùm prædicamenta datur per se motus, scilicèt ad quantitatem, qualitatem, & vbi; huius autem motus vnitas, & distinctio specifica sumitur à termino ad quem formalitèr sumpto: numerica verò à mobili, termino, & tempore.

23 In continuo admittenda sunt actu indiuisibilia, tàm continuatiua, quàm terminatiua. Sicùt & partes proportionales, quæ non dicunt distinctam entitatem ab aliquotis, nec actu, & cathegorematicè, sed syncathegorematicè sunt infinitæ.

24 Duo sunt termini magnitudinis rerum naturalium, scilicèt Maximum quod sic, quod est intrinsecum; & Maximum quod non, quod est extrinsecum. Viuentia habent terminum intrinsecum tàm paruitatis, quàm magnitudinis; non viuen-

viuentia verò versùs magnitudinem, solùm extrinsecè obtinent.

25 Successiua incipiunt per vltimum non esse, & desinunt per primum esse; Indiuisibilia verò incipiunt per primum esse, & desinunt per vltimū; eodemq; modo incipiunt substantiæ generabiles, desinunt tamèn per primum non esse.

26 Principium per se, vt quod, grauium, & leuiū est generans, non forma animata; & in proiectis nequit negari vis impulsiua, quæ in ipsis, siuè in aere per modum transeuntis recipiatur.

27 Etsi mundus non fuerit ab æterno, vt ex fide constat; creaturæ tamèn permanentes potuissent esse; non verò successiuæ.

EX LIBRIS DE ORTV, & interitu.

28 DAtur generatio substantialis, quæ est *Mutatio de non ente substantiali ad ens substantiale, seù à substantia in potentiâ, ad substantiam in actu*. Eius terminus formalis qui, est suppositum; terminus verò, quo, formalis inadæquatus, seù partialis est forma substantialis; sed terminus, quo, totalis est compositum sumptum pro natura, seù forma totius.

29 Corruptio substantialis, quæ est *Mutatio de esse substantiali formæ in materia ad non esse eiusdem*: cum non sit formalitèr actio, nec mediatè, nec immediatè, sed tantùm virtualitèr, non differt

fert à generatione substantiali in ratione actionis, benè verò in ratione mutationis. Simplicitèr naturalis est, non violenta, non quidèm secundùm inclinationem, quæ est principium essendi, & perfectionis, sed secundùm inclinationem, materiæ; Et quamuis sit de secundaria intentione naturæ vniuersalis, à natura tamèn particulari, nullo modo est per se intenta. Fit in ea, resolutio vsq; ad materiam primam: ita vt nullum accidēs reperiatur in genito, quod erat in corrupto.

30 Alteratio, prout deseruiens est ad generationem substantialem, est *Motus ad qualitatem sensibilem mediam, aùt extremam*. Eius species subalternæ sunt simplex Alteratio, Intensio, & Remissio: solùmque ad qualitates tertiæ speciei, scilicèt ad passionem, & passibilem qualitatem terminatur, non fit, nec fieri potest per instantia interpolata, sed continuè, & successiuè.

31 Intensio non fit per corruptionem qualitatis minùs intensæ, & productionem perfectioris, nec per additionem gradus ad gradum, sed per maiorem radicationem in subiecto, cōsistit autèm hæc maior radicatio in perfectiori terminatione quātitatis virtualis qualitatis: ità quòd intendi, non sit aliud, quàm acquirere perfectiorem terminationem quantitatis virtualis per eductionem ex potentia subiecti.

32 In viuentibus datur vera Augmentatio, quæ est *Motus à minori ad maiorem quantitatem*. Sicùt

cùt etiam in eisdem datur vera Nutritio, quę est *Conuersio alimenti in substantiam aliti*. Sola .n. viuentia propriè loquendo nutriuntur, & augentur, totóq; tempore, quo nutritur, & augmentatur viuens, manet idem numero. Durat Nutritio per se loquendo, toto tempore vitæ: Augmentatio verò nequaquàm, sed vsquè ad certum determinatum tempus; fitq; per se, & immediatè secundùm omnes partes aliquotas, secundariò verò secundùm partes proportionales.

33 Rarefactio, & Condensatio non important aliquam additionem, vel diminutionem quantitatis, neq; totalem, nequè partialem, sed sunt Alterationes per se primò terminatæ ad qualitatem tertiæ speciei, scilicèt ad raritatem, & densitatem; Vndè implicat aliquid fieri maius altero sinè additione quantitatis, vel sinè rarefactione.

34 Agens simile in specie, seù forma, & dissimile in gradu, & conditionibus potest agere in passum, minimè tamèn si sit simile in qualitate, gradu, & conditionibus. In Antiperistasi autẽ, quam dari experientia comprobatur, idem nõ agit in se ipsum, sed producitur maior qualitas proptèr obsistentiam contrarij: ità scilicèt, vt contrarium circumstans non sit causa per se, sed solùm per accidens illius maioris intensionis: Causa verò per se sit aliquid aliud.

35 Mixtionem definimus, quòd sit. *Miscibilium*

alte-

alteratorum, seu corruptorum secundùm formas vnio. Ideóq; in mixto formæ substantiales elementorum actu, & formalitèr non manent, benè tamèn eorum qualitates, quæ sunt virtutes illorum, licèt redactæ ad mediocritatem; qua ratione Elementa virtualitèr accidentalitèr in mixto manêre dicuntur.

36 Elementum propriè sumptum, sic definitur: *Est Corpus, in quod cætera Corpora diuiduntur, in quibus inest actu, vel potentiâ, ipsum autèm est indiuisibile in diuersa secundùm speciem*. Cõstituitur ex combinatione primarum qualitatũ, scilicèt caloris, frigoris, siccitatis, & humiditatis; quæ non sunt formæ substantiales, sed accidentia propria illorum; Cumque hæc combinatio quadruplicitèr fieri possit; ideò quatuor Elementa ex cõmuni cõsensu admittimus, Ignẽ scilicèt, Aerem, Aquam, & Terram.

37 Horum autèm cuilibet in sua puritate, & simplicitate duas tantùm qualitates conuenire dicimus; vnam quidèm in summo, & aliã citrà summum. Ignis enim est calidus in summo, & siccus citrà summum; Aer humidus in summo, & calidus citrà summum; Aqua frigida in summo, & citrà summum humida; Terra summè sicca, & citrà summum frigida.

38 Etsi quodlibet Elementum possit ex quolibet immediatè generari, facilior tamèn per se loquendo, & ex natura rei est transitus in elementa symbola, quàm dissymbola.

39 Librorum de anima obiectum est ens animatum, cuius pars principalis, scil. Anima rectè, & essentialitèr definitur per duas definitiones, quas Arist. 2. de Anima cap. 1. & 2. tradit, *Anima, scil. est actus primus corporis physici organici potentiâ vitam habentis*, seù *Anima est id, quo viuimus, sentimus, loco mouêmur, & intelligimus primò*. Quarum secunda, etsi essentialis sit, primam tamèn à posteriori probat, dum per notiora est data.

40 In vnoquoque viuente vna tantùm reperitur Anima, sicuti in vnoquoq; composito, quod est vnum per se, plures nequeunt dari formæ substantiales; neque proptèr diuersa prædicata, neq; proptèr diuersitatem partium æthero-genearum.

41 Tres sunt Animæ Vegetatiua, Sensitiua, & Intellectiua. Quatuor autèm genera viuẽdi scilicèt vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum. Prætereà vegetatiua in sensitiuâ, & vtraque in rationali, non virtualitèr, sed formalitèr eminentèr continentur.

42 Omnis anima, etsi secundùm præcisum gradum animæ non sit principium diuisibilitatis; est tamèn principium illius secundùm gradum corporeitatis, quem includit, & quamuis illa perfectorum animalium per quantitatem non reddatur diuisibilis, redditur tamèn illa imperfectorum animalium.

43 Po-

43 Potentiæ ſenſitiuæ (ſicùt, & omnes aliæ) realitèr ab anima diſtinguuntur, & ab actibus, & ab obiectis formalem diſtinctionem deſumunt; ſpeciebus ad operandum indigent, reſpectu quarum, quàmuis paſſiuè ſe habeant, reſpectu tamèn actuum actiuè concurrunt.

44 Anima rationalis eſt immortalis per ſe ſubſiſtens, entitatiuè ſpiritualis, & forma corporis; cuius potentiæ ſunt Intellectus agens, Poſſibilis, & Voluntas. Intellectus agens non eſt intelligentia extrinſeca, ſed potentia intrinſeca ſpiritualis non cognoſcitiua, cuius eſt ſpecies intellectui poſſibili tribuere; illas ex phantaſmatibus inſtrumentalitèr concurrentibus abſtrahēdo, & obiectum in illis illuſtrare, & intellectum poſſibilem illuminâre.

45 Intellectus poſſibilis potentia eſt cognoſcitiua, cuius obiectum extenſiuum eſt, quodcunq; intelligibile, finito modo attingibile; Proportionatum verò pro hoc ſtatu, eſt quidditas rei materialis, & quodcunq; per connotationem ad materiam cognoſci poteſt. Vndè primum cognitum ab intellectu noſtro non eſt ſingulare, nequè ens, vt ens, aùt ſpecies ſpecialiſſima, ſed quidditas rei materialis, ſub quodam prædicato confuſo entis.

46 Requiruntur ad cognoſcendum ſpecies intelligibiles, quæ ſunt ſimilitudo formalis obiecti; conſtituuntq; intellectum in actu primò cognoſcentem, ipſum in eſſe intentionali perficiunt,

unt, & transformant in obiectum singulare in actu exercito indirectè repræsentāt etiam illæ, quæ ex præconceptis producuntur.

47 Requiritur etiam intellectio, quæ non est actio de prædicamento actionis, neque cum motu identificata, sed vera, & propria operatio ad prædicamentum qualitatis pertinens, verumq; exercitium virtutis intellectiuæ.

48 Requiritur tandèm verbum, quod ab omni intellectione producitur, in qua obiectum, aùt non est præsens, aùt non sufficientèr immateriale in ratione obiecti terminantis, quodq; fit per dictionem ab intellectione, nonnisi modalitèr distinctam.

49 Voluntas, quæ est appetitus elicitus sequens rationem, ab appetitu sensitiuo realitèr distinguitur; potentia libera est, & intellectu absolutè loquendo imperfectior.

EX LIBRIS METAPHYSICORVM.

50 MEtaphysica, quæ perfectissima, & naturalis sapientia dicitur, vna est specie scientia, cuius obiectum formale quod, est ens; vt ens, pro vt abstrahit ab ente reali, & rationis; ratio verò formalis sub qua, est abstractio ab omni materia.

51 Conceptus obiectiuus entis, siuè completi, siuè vt abstrahentis à completo, & incompleto, ad ens rei, & rationis, ad Deum, & Creaturas,

ad substantiam, & accidens, non est vniuocus, neque purè æquiuocus; sed vtramq; attributionis, & proportionalitatis analogiam obtinet.

52 Analoga verò propriè, quæ sunt media intèr vniuoca, & purè æquiuoca, rectè definiuntur, *Quorum nomen commune est, ratio verò significata per nomen partim est eadem, & partim diuersa.* Diuiditur autèm Analogia in alteram proportionis, cuius ratio per nomen significata intrinsecè solùm in principali analogato reperitur, extrinsecè in alijs: & in alteram proportionalitatis, cuius ratio in omnibus est intrinsecè.

53 Hinc analoga proportionis, seù attributionis, & Metaphorica, vnum conceptum, aùt obiectum, aùt formalem obtinêre non possunt, sed plures cum vnitate comparationis, & connotationis; Proportionalitatis verò vnum cóceptum imperfectè præcisum ab inferioribus habent, sicùt est entis conceptus ab inferioribus abstractus.

54 Essentiæ rerum non sunt sempiternæ extrà Deum in aliquo positiuo gradu entis, sed negatiuè, aùt in quantùm dicunt non repugnantiã, vt à Deo producantur; aùt in quantùm ex se à differentijs temporum abstrahunt, de quibus (etsi non existant) propositiones formatæ sempèr veræ sunt.

55 Essentiam sequitur indiuiduatio; cuius radix in substantijs materialibus non est natura specifica, vt præcisè dicit prædicata quidditatiua,

neq;

nequè hæcceitas omninò ab extrinseco prouemiens; sed materia signata quantitate; quæ signatio non fit formalitèr per quantitatem, vt inhærentem materiæ, sed per intrinsecum ordinem ad ipsam radicalitèr contentam, vt ad formam diuidentem, & separantem; in accidentibus verò à subiecto desumitur.

56 Deindè subsistentia sequitur, quæ est terminus, seu formalitas substantialis reddens compositum alteri incommunicabile, vel tanquàm constitûto, vel tanquàm subiecto, vel tanquàm partem in toto, vel tanquàm in substentante. Præterea entitas positiua est, distincta ab indiuiduatione, & existentia; vna est in vnoquoq; composito.

57 Vltimò tandèm sequitur existentia, quæ est terminus formalis, per quem essentia vltimatè, & completè ponitur extrà suas causas. Respectu essentiæ accidens est prædicabile; vndè ab ea est realitèr distincta.



THE-

THESES MEDICINÆ.

DE MEDICINA IN VNIVERSVM.

1 MEdicina omniũ ſcientiarũ præclariſſima, cuiˢ inuentionẽ D.O.M. proprio quodã iure ſibi vẽdicat: *eſt ſciẽtia cognoſcitiua diſpoſitionis corporis humani, pro vt eſt ſalubre, vel inſalubre, vt habita ſanitas conſeruetur*: *&* *amiſſa reſtituatur*; ità Auicenna, & optimè, ipſam ſecundùm leges phyſicas definiuit.

2 Vndè ſubiectum Medicinæ, humanum corpus exiſtit, quatenùs rebus naturalibus exornatum ad ſanitatem, & curationem capeſſendã, adaptatumq; intuetur: paritèr in eius clientẽlam res non naturales, & prætèr naturam appellatæ, Medico veniunt in conſiderationẽ propoſitæ.

3 Res etenim naturales numero ſunt elementa, temperamẽta, humores, partes humani corporis, ſpiritus, facultates, & functiones. Non naturales dicimus ambientem aerem; cibum, & potum; motum, & quietem; ſomnum, & vigiliam; ea omnia, quæ retinentur, & excernũtur; & animi pathemata. Præternaturales tandèm, ſunt cauſæ, quæ morbum præcedunt, morbus ipſe, & ſympthomata, quæ morbum concomitantur.

4 Quin-

4 Quinquè igitur sunt Medicinæ partes, quarũ tres ad Theoricam pertinent, vt Physiologica, quæ corpus humanum integrè validum, & omnes illius vires, functionesq; perpendit. Pathologica, quæ morborum ideas, maleficasque affectiones, quæ naturam ipsam afficere valent; & vndè causæ eueniant, & signa demonstrent, indagatur; & Prognostica, quæ euentum morbi, malorumq; decursus præsagitione portendit. Vltimæ duæ ad Practicam reducuntur, vt Hyginia, quæ ad sanitatem conseruandam, firmamq; corporis constitutionem optimâ viuendi lege decernit, & imminentia mala arcendo, humanum corpus tuetur; & Therapeutica, quæ morborum affectiones, salutarium vsu sanitatem inducendo, propellit. At quoniàm ingruentes ægritudines vitari satis nequeunt, nisi ratione cognitâ, quâ fieri possunt, & quâ tollerentur, si adessent; Ideò vtraq; opera curandi scilicèt, & conseruandi sub vno, & eodem genere contineri decernimus, quæ sanationes appellantur.

5 Chirurgia, Pharmacia, & Diæta partes sunt quales genericæ sanationis, non quantæ; proindè non minùs ad conseruatricem, quam ad curatricem pertinent.

6 Gymnastica, & Cosmetica Medicinæ partes non sunt, nisi impropriè subalternentur: illa tamèn erit conseruatrici, hæc curatrici ascribēda.

7 Ex tribus Medicorum sectis Empirica, Metho-

thodica, & Dogmatica; sola Dogmatica verã, & germanam de medẽdis humanis corporibus doctrinam continet; cuius Author fuit Hippocrates Medicorum omnium Princeps: Cæteræ verò sectæ seruile colunt hominum genus.

8 Futuro Dogmatico Rhetoricam, Dialecticam, Naturalem Philosophiam, Ethicen, Anatomen, Herbarum notitiam, & Astrologiam antè didicisse est necessarium.

DE PARTIBVS HVMANVM CORPVS CONSTITVENTIBVS, & de vsu partium.

9 PArs à Fernelio definita, est *Corpus toti cohærens, communiq; vita coniunctum ad illius functionem, vsumq; comparatum*; vndè partes humanæ structuræ multifariè diuiduntur, quarum prima partitio est in continentes, contentas, & impetum facientes: Insupèr aliæ partes sũt simplices, homogeneæ, & similares; aliæ compositæ, etherogeneæ, & dissimilares.

10 Similares partes, quæ eiusdem naturæ dicũtur, ex vna, particulariq; substantia constantur: in spermaticas, & sanguineas diuiduntur. Spermaticæ sunt os, cartilago, ligamentum, fibræ, & membranæ; At neruus, vena, arteria, & cutis, etiamsi non sint, *ex Galeno*, propriè similares, quia intùs medullosas, extrinsecùs membranosas habent substantias; attamèn quià

primo obtutu à nobis eiusdem substantiæ intuentur, ideò intèr spermaticas ab Authoribus reponuntur: Sanguineæ verò sunt, quæ à sanguine originem ducunt, vt Caro, & Adeps.

11 Dissimilares illæ dicuntur, quæ non ex partibus eiusdem naturæ componũtur, sed ex pluribus specie differentibus; & quià aliàs facultatum, & functionum animæ sunt instrumenta, instrumentariæ appellantur.

12 Partes itàq; organicæ in animales, vitales, & naturales, ac singulæ in principes, & subministrantes diuiduntur. Cerebrum enim est facultatum hægemonicarum, & animalium tùm sentientium, tùm motiuarum omnium origo, animalis spiritus sedes, & neruorum principium: ipsi tanquàm subministrantes inseruiunt nerui sensitiui, & motiui; nam alij facultatem deferũt ad sensum, & motum; alij operantur.

13 Cor est facultatis, & spiritus vitalis fons, natiui caloris præcipua sedes, Arteriarumq; principium. Sunt ei subseruientia respirationis Organa, & Pulsus; Respirationis sunt alia deducentia, vt Larynx, & Aspera Arteria, quæ habent aerem deducere. Alia excipientia, vt sũt Pulmones, qui haustũ aerem excipiunt, & Cordi præparant. Alia mouentia, vt sunt musculi Thoracem distendentes, & contrahentes; Nam sinè motu Thoracis aer nõ educitur, vaporque fumidus non excluditur: Pulsationis verò Organa sunt Arteriæ.

14 Hæ-

14 Hæpar est facultatis naturalis, venarumq; omnium principium, & primum generandi sanguinis instrumentum. Organa huic facultati subseruientia, alia sunt nutritioni, alia generationi dicâta; quæ nutritioni famulantur præparãdo, expurgando, & distribuendo munus suum exequuntur; nam os, & ventriculus cibum præparant: illud manducatione, hic coctione. Intestina chylo expurgando sunt dicata, chyli siquidèm excremẽta per aluum excernuntur: Kystis fellis, Lyen, Renes, & Vessica ad sanguinis exactam expurgationem inseruiunt; venæ tandèm in distributionem alimentorum præoccupantur.

15 Venarum genus in duplici censu existere iudicamus; vnum quidèm ab omnibus Anatomicis compertum, quo sanguis ab hæpate per vniuersum corpus asportatur, duas complectens species, Venam Portam nuncupatam, quæ crassiorem sanguinem intestinis alendis; & Venam cauam, quæ tenuiorem cæteris corporis partibus nutriendis condûcit, dispergitque; Alterum verò genus nouissimè à Gaspare Asellio in re Anatomica oculatissimo inuentum, quo chylus in ventriculo confectus ad hæpar transmigrat, & venæ lacteæ fuerunt appellatæ. Hoc ipsum nos quoq; vidimus indigitante Comite P. Castello felicissimæ recordationis.

16 Generationis organa quædam mari, & fœminæ sunt communia, alia verò sunt propria;

 com-

communia sunt Testes, & vasa Spermatica, tùm præparantia, tùm deferentia; Propria Penis maris: Vterus fœminæ.

DE TEMPERAMENTIS.

17 Temperamentum nulli dubium est, cōcentum quemdam esse mixtorum in composita substantiâ elementorum; vndè non mixtio, sed mixtionis proportio est temperamentum.

18 Solet interdùm Galenus temperamentum naturam, & substantiam appellare summa cum ratione; nàm qualitates variæ, varijs modis solent corpus afficere, quibus illud ex elementis coagmentatum existit.

19 Temperamentum, quod ex primis qualitatibus fit, & æquale ad pondus nuncupatur, in mixtis naturalitèr loquendo, non dari posse sustinemus.

20 Ad Iustitiam humanum corpus temperatum tunc dicimus, quandò membra, quibus cōstat, singula in suo genere sunt temperata.

21 Cutis, & potissimum, quæ in vola manus est, omnium partium humani corporis longissimè abest à quocunque excessu, quæ est causa, vt ex illius comparatione reliquæ partes, vel calidæ, vel frigidæ, vel humidæ, vel siccæ denominentur.

22 Cor omnium particularium partium intensissimum habet calorem. Pulmonum caro cutim natu-

naturali, & insità humiditate vincit.

23 Temperamentum in duo diuidere solemus; vnum dicimus infixum, ac innatum, quod difficilè variari potest; alterum aduentitium, quod facilè permutatur.

DE PRINCIPIIS VITÆ.

24 Vitæ principia duo sunt Calidum innatum, & Humidum primigenium, à duobus generationis nostræ principijs, parentum semine, & materno sanguine propagata.

25 Calidum innatum est præcipuum animæ instrumentum, quo vitæ actiones obit, omnesque naturæ functiones exequitur, cuius ministerio hæc morbos, morborumq; causas, & symptomata depellit. Vndè duo per calidum innatum compræhendimus, subiectum, cui calor inest, & qualitatem naturalitèr in subiecto existentem.

26 Insupèr innatū calidum eiusdem formæ putamus esse, cuius est elementaris. Paritèr dicimus esse eiusdem naturæ post membrorum efformationem, ac erat anteà.

27 Humidum primigenium substantiã esse oleaginosam dicimus, solidioribus corporis partibus ab origine insitam, spiritus, & calidi innati basim, ac sedem, aliàs humidum radicale appellatum.

28 Diuinissimè Hippocrates, *Calor (dixit) non pe-ridit, qui corpora produxit*; quoniam is per acci-

dens

dens depopulatur primigenium naturæ humidum, vnáq; cum eo se ipsum perdit; sicuti scribitur *à Gal. lib. 1. de tuen. val. cap. 2.*

DE HVMORIBVS.

29 HVmor, iuxtà communem omnium Medicorum sententiam, *est corpus humidum fluidum, in quod primum nutriens conuertitur.* Præter primigenium, aut aduentitium, duplices in nostro corpore continentur humores: Alimentarij nimirùm; vt Sanguis, Pituita, Bilis, & Melancholia; Et excrementicij superflui, nempè corporis liquores naturæ vtiles. Illa prima quatuor Humorum mixtura ratione sanguinis exuperātis, massam conficit sanguinariam, & in hæpate potentialitèr generatur, vim habens nutritiuam.

30 Sanguis per se solus non reperitur, sed ex æquali humorum contrariorum mixtione iustaq; proportione, & decenti armonia consurgit. Vnde secundùm sui naturam cōsideratus, vt purus, & sincērus, temperamento calidus, & humidus est, aereæ naturæ æmulus, nec huius temperamenti ratione dumtaxat: verùm etiam consistentia, calôre, sapôre, & vsu à cæteris humoribus secernitur. Potest vtiquè, vel media alteratione, vel per putredinem in bilem, & melancholiam commutari; ac etiam sanguis ipse in substantia, qualitate, quantitate, motu, & quie-

quiete peccatum habêre.

31 Pituita, quæ est massæ sanguinariæ pars, substantia crassa, viscida, & lenta, colore alba, sapore insipida, aùt semidulcis, in duplici existit differentia; vna naturalis; altera verò non. (sicùt etiam, & cæteri omnes humores.) Insupèr naturalis duplex; vna alimentalis, alia excrementitia; Naturalis alimentaria simùl cum sanguine per venam cauam distribuitur. Generatur enim in ventriculo, deindè in hæpate, ad perfectam sanguinis formam capessendam à natura amandatur; ibíq; in defectu sanguinis nutrire potest: Excrementitia verò est, quæ residet in Ventriculo, aùt in capite Metropolis Pituitæ dicto, reperîtur. Rursùs non naturalis quadruplicitèr desumitur acida scilicèt, salsa, vitrea, & gypsea, quæ omnia hanc naturam, vel per alterationem, vel per admixtionem bilis, vel per putredinem adipiscuntur.

32 Bilis alimẽtaria est tenuior massæ sãguinariæ pars, igneæ naturæ particeps, temperamento calida, & sicca, colore flaua, aùt pallida, gustu amara; Excrementitia verò est, quæ ab Hæpate per proprium canalem ad fellis Kistim asportatur, vt ad excrementorum deiectionem facultatem extimulet, crassumq; in intestinis adhærentem humorem detergat. At non naturalis bilis multifariè consideratur, vel mutatur citrà naturam per calorem Iecur malè afficientem; & est triplex Pallida, Vitellina, & Atra; vel præ-

tèr

ter naturam gignitur extra venas; & similiter est triplex Isatis, vel Porracea, Æruginosa, & Cerulea, & hæ sæpe numero in ventriculo à vitiosis, & mali succi cibarijs gignuntur.

33 Melancholia alimentalis est crassior massæ sanguinariæ pars, naturæ terrestris, temperamento frigida, & sicca, colore nigra, gustu acida; Excrementitia verò est ea, quæ post sanguinis generationem à Iecore expellitur, & attrahitur à lyene, ex cuius parte puriori ipsum lyen nutritur; Crassioris verò, vna pars ad ventriculum recurrit, ipsum sua aciditate corrugãdo, & roborando, vt cibaria fermententur, & optimam suscipiant coctionem; Altera, ad Intestina, & Mesenterium per venam Meseraicã ad extremum intestinum dilabitur, à quo venæ hæmorrhoidales oriuntur.

34 Non naturalis porro Melancholia est illa, quæ ob caloris ardorem quasi in cinerem vertitur, adeò vt acris, & mordax euadat, cuius quatuor sunt species; nam vel est crassa, vel tenuis; Si tenuis, est illa vulgatissima, cuius portio, si terram petit, fermentare ipsam videtur, & ampullas progignere; Altera secunda species est cinis bilis adustæ, tertia est sanguinis adusti; & quarta pituitæ adustæ.

35 Præter quatuor recensitos humores, dantur etiam, & alij, qui secundarij appellantur, & à prioribus in quacunque corporis parte originẽ ducunt, qui exactius postrema elaboratur coctione,

tione, & quatuor numero recensentur. Primus est appositus in exilibus venis, hinc mòx in vacua spatia influxurus; secundus in partis substātiam diffusus, per eam roris modo spargitur, & Ros nuncupatur; Tertiùs circà villos concrescens, illis agglutinatur, & Gluten dicitur; Quartus est concretus liquor, qui solidis fibris adhæret, similarium substantiam vicem gerens, & cābium vocatur. Vndè tandèm humores dicimus varia commutatione in corporis naturam commigrare.

DE SPIRITIBVS, ET FACVLTATIBVS.

36 SPiritus aerea, tenuis, & perlucida est substātia, caloris natiui sedes, facultatum vehiculum, primumq; obeundarum functionum instrumentum. Duplex in nostro corpore reperitur; vnus insitus; alter influens; Insitus est, qui singulis partibus similaribus à principijs generationis est insertus. Influens est, qui aliundè emanat, insitumq; fouet, & conseruat; calorem, & facultatem vbiquè deferens, ad functiones obeundas; & est triplex: Animalis, Vitalis, & Naturalis; Animalis in Vētriculis Cerebri; Vitalis in Sinistro Cordis sinu; & Naturalis in Hæpate generatur.

37 Sicùt triplex est in homine actionum genus: Naturalium, vt nutritio, & generatio: Animalium, vt sentire, & moueri: Vitalium, vt Cor-

dis, & Arteriarū pulſatio, caloriſq; in toto corpore conſeruatio: ità tres vniuerſales ſunt in homine facultates, quarum Naturalis in Hæpate viget; Vitalis in Corde; Animalis in Cerebro. Iſtæ itidèm facultates multiplicitèr ſecundùm eſſentiam diuiduntur, & in proprijs conceptabulis ſuo funguntur munere.

DE SEMINE, ET SANGVINE MENSTRVO.

38 Semen, vtile eſt tertiæ coctionis excrementum, principium generationis viuentium: vndè virile ſolam efficientiam in generatione hominis præſtare dicimus. Fœmineum verò tanquàm quid conſeruatiuum concurrit eiq; aliqualem energiam præſtat, deindè in flatus abîre censêmus. Ideò Genitura differt à ſemine *ex Ariſtot. 2. de Gen. an. cap. 3.* ex eo, quià ſemen latiùs, prout competit animantibus, & plantis deſumitur. Genitura verò in perfectis tantùm reperîtur; & eſt illa prima alteratio, quæ recipit ſemen in vterum eiaculatum.

39 Semen ab omnibus corporis partibus defluere cum Ariſtotele, & Galeno affirmamus; at in vaſibus ſpermaticis perfectionem aſſumere. Ob id non benè infertur filium membro aliquo parentibus ſimilem eſſe, quià ſemen ex membro parentum ſimili defluxerit.

40 Fœminæ, ſi cætera ſint paria, quàm viri *ex Hipp. lib. de ſeptim. par.* tardiùs figurantur.

41 Septimo, nono, vndecimo, duodecimo, & decimoquarto à conceptione menſe vitales partes eduntur. Octimeſtres, vt plurimùm non viuunt, (ſaltèm ſub hoc noſtro Cœlo, etſi apùd Æthiopes hoc nō verificetur) quod fit ex ratione dierum, non rectè iudicantiū, & ex proportione agentis ad id, quod patitur; dùm natura defatigata in ſeptimo, in octauo munus ſuum exequi minimè valet. Quamquàm Aſtronomi interfectorem Saturnum prædicent.

42 Sanguinem Menſtruum, ſic à mēſurna expurgatione nuncupatum, naturale, & ordinatum ſanguinis excrementitij, vtilis, & crudi profluuium eſſe ſuſtinemus. Cōcurrit ad generationē paſſiuè, tanquàm quid materiale partiū rubearum, nec vitioſum, & corruptum exiſtere dicimus, contra Florum apùd Plutarchum, ſed eiuſdem naturæ, ac in venis mulierum reperitur.

43 Fluxum Menſtrualis ſanguinis à motu lunæ depēdere, cū *Ariſt. 2. de Gen. anim.* aſſeueramus.

44 Lac fieri ex chylo cum Picelto, Bertholino, & Moderniòribus, rationibus, & experiētijs cōſonum non videtur, ſed potiùs à ſanguine menſtruo, vt communiter omnes Doctores affirmarunt; dùm ſanguis mēſtruus per proceſſus mammillares ad mammas delatus, à facultate lactifica ibi inſita in lac tranſmutatur.

45 QVæ naturalem corporis constitutionem destruere valent, affectus præter naturam à nobis nuncupantur; qui quidèm tres numero ab omnibus recensentur: Morbus scilicèt, causa morbi, & sympthoma. Morbus *est constitutio pratèr naturam, primò, & per se lædens operationes humani corporis*, & sicùti sanitas ex tribus emanat fontibus, ex temperie scilicèt partium similarium; ex compositione organicarum; & ex earũdem vnione: ità morbus triplicitèr consideratur, vt similaris, est intemperies, quæ primò similarium lædit actionẽ: Vt Organicus, & est structuræ corporis ametrîa, quæ primò instrumenti vsum peruertit; & vt cõmunis, & est solutio continui, quæ vtriusq; partis functionibus æquabilitèr obest; Et hæc trina morborum dimensio suas habet differentias; proindè rectè in prædicamento qualitatis morbi essentiam collocamus.

46 Vlteriùs prætèr triplicem morborum enumerationem, alium morbum à tota substantia, seù à qualitate occulta pendentem dari cum Fernelio sustinemus. Cui etiam, & oppugnari remedijs qualitatem occultam habentibus, scilicèt Alexipharmacis, necesse est.

47 Insupèr morbus, quò ad inuasionem, suam suscipit denominationem; nàm si sparsìm, variè, & per analogiam ægros depræhendit, Sporadicus nun-

nuncupatur; si per quàmplurimas Regiones multos eodem tempore inuadēs grassatur, vulgaris, vel Epydemicus dicitur; in vna tantùm Regione percurrēs, Vernaculus, aùt Endemius vocatur. Prætereà, si morbus quàmplurimos iugulauerit, & contagiosus fuerit, Pestilentis nomen sortîtur: si sempèr & quandocunq; interfecerit, Læthalis. Insupèr Periculosus, quandò anceps res est, dicitur. Saluber, quandò periculo vacare significatur. Benignus, dùm benignè se gerit; & intrà paucos dies terminatur. Malignus verò, aùt mali moris, quandò magnus, & grauis potestate existit. In specie tamèn venit mitis, & lenis: ità vt quàmplurimos habeat decipere, & enecare.

48 Causa morbum pariens, affectum dicimus prætèr naturam, dùm illius interuentu partium operationes læduntur. Vndè omnes causæ, vel sunt antecedentes tantùm, quibus morbi eminùs gignuntur; vel coniunctæ tantùm, in quas, & morbos nullæ aliæ causæ intercedunt; Vel continentes existunt, seù Omogenæ ab Aristotele nuncupatæ, quæ scilicèt ad morbos, ità se gerunt, vt ijs præsentibus, præsentes morbi sint; ijs ablatis, morbi illicò tollantur.

49 Sympthoma, quod succedēs à Græcis fuit appellatum, est affectus prætèr naturam, qui morbum sequitur, sicùti vmbra corpus; & vbi summa cum vehemētia consistit, statìm ad eius causam remouendam, artificem cogit; & cum triplex

plex sit prætèr naturã affectus: triplex etiã ipsũ erit symphtoma. Sympthoma scil. causæ, sympthoma morbi, & sympthoma sympthomatis; verùm omne sympthoma in actione læsa, in qualitate mutata, & in exeũte mutato suas habet differentias.

DE PVTREDINE.

50 PErquàm optimè explicatam existimamus *ab Arist.4.Methor.cap.1.* naturam putredinis ab eo definitam: ***Interitus proprij, & natiui caloris in vnoquoq; humido à calore ambientis.*** Vndè Galenus eũdèm sensum complectens, sic eam definîuit: ***Mutatio totiùs substantiæ putrescentis ad corruptêlam ab externa caliditate.***

51 Quamquàm putredo, cùm sensìm fit Tabes, seù Marcor, naturalis nuncupetur putredo; cùm repentè fit, strangulatio, aùt suffocatio dicatur; cùm nequè citissimè, neq; tardissimè, sed tractu aliquo temporis fit, particularis putredo appelletur; attamèn quocunque modò accipiatur in illam Galeni, & Aristot. definitionem optimè quadrat.

52 Prætèr putredinem naturæ aduersantem, datur etiam ex Aristotele *loco citato* naturalis putredo, dùm scilicèt respectu causarum agentium in putredinem, & generationem consideratur.

53 Non solùm ex prohibito trãspiratu putrescũt humana corpora; sed etiam ex alijs causis: verissimum tamèn est, humores nunquàm putre-

scere

scere sinè ope externæ causæ, quin sit in affecto corpore difficilis ventilatio.

DE SCOPIS SANGVINIS MISSIONIS.

54 SAnguinis euacuatio, aliàs phlebotomia nũcupata, quæ à Medico sanitatis gratia conseruandæ, vel acquirendæ molítur, & humorũ sua praua quantitate peccantium dicitur euacuatio, tantùm plenitudinis scopum habere nõ permittimus; *nam ex Gal.4.Meth.cap.5.* colligitur, quòd multis in casibus necessariò conuenit sanguinis detractio, estò non sit plenitudo; nam si quis cadat ab alto, vel membrum aliquod cõtusum fuerit, vel expuat sanguinem, & consimilia: huic conuenit sanguinis missio, & tamèn nullum elucescit plenitudinis signum.

55 Insupèr in ardentissimis febribus, in vehementissimis doloribus, & in maximis inflammationibus non inuêni præstantius, licèt non sit plenitudo, quàm sanguinem mittere, dicebat Galenus; igitùr plenitudo absolutè non indicat sanguinis euacuationem.

56 Prætereà, nec morbi magnitudinem, nec virium robur sanguinis missionem indicare decernimus; nam adsunt morbi magni, qui ad sui ablationem, sanguinis detractionem nõ exquîrunt, vt est in Apoplexia, in qua dicit Celsus, aùt enecat, aùt sanat sanguinis missio: sanat si fit ex sanguinis copia; enecat si fit ex putridis succis; & ta-

&c tamèn Apoplexia quòmodocunq; originem ducat,sempèr est magnus morbus, & non sempèr indicat sanguinis missionem.

57 Paritèr étiam, & virium robur; nàm in ipsámet Apoplexia,aùt Hidrope multotiès adest virium fortitudo, & tamèn, quià pendet in fieri ab humore alieno à natura sanguinis, sanguinem non detrahimus.

58 Dicendum itàq; est pro conclusione,scopum sanguinis missionis duplicitèr sumi, vel primariò, & per se; vel secundariò, & per accidens: primariò, & per se,ipsam plenitudinem sanguinis missionem indicare decernimus; nam si remedium indicatur à suo contrario, contrarium sanguinis repletioni est ipsius euacuatio; Quæ verò citrà plenitudinem, sanguinis exigunt detractionem,secundariò, & per accidens indicāt. Hæ rationes sunt adductæ, vt impugnentur.

59 Plenitudinem itaquè multiplicitèr sumimus; nam, vel existit intrà venas, vel extrà. Prior aùt est particularis,aùt vniuersalis. Particularis est,quandò sanguis superabundat in aliqua determinata corporis parte,& non in alijs. Vniuersalis est cùm in omnibus vasis,seù venis sanguinis incrementum reperîtur. Insupèr plenitudo vniuersalis duplicitèr haberi potest, vel quò ad vasa; vel quò ad vires; quò ad vasa est quandò,ità adeò exuperat sanguis, vt vasa distendantur, & plus capere non possint; quò ad vires est, cùm tàm adeò superabūdat,vt Venæ, & Ar-

& Arteriæ compreſſæ à pondere onerante, ità grauefcant vires, vt debilitatem, ſpontaneam laſſitudinem, & ſenſum ponderis corpus ipſum perſentiat.

60 Altera particularis plenitudo, quæ cauitatũ dicitur, eſt quandò ſanguis exiens à venis, vel in diuerſas recipitur cauitates, vel intrà partiũ poroſitates continetur, ibíq; inflammatur, vel intrà ſinum alicuius membri, vt veſſicæ, Thoracis, aùt ventriculi grumeſcit. In hiſce plenitudinibus ſempèr ſanguinis miſſionem dicimus conuenire.

61 Rursùs poſitis veris primariæ, & vniuerſalis plenitudinis ſignis, dicimus exitum Variolarum, Morbillorum, & exanthematum, nõ prohibere ſanguinis miſſionem, eſto natura ſit præoccupata ad expellendum ſanguinem noxium; nec nos ipſam diſtrahimus à motu ſuæ operationis, ſi dempta per venæ ſectionem plenitudine naturam onerante, per quàm facilè ſuum opus perficere adiuuamus. Paritèr ſi poſt exitum eorũdem, languens inciderit in inflammationem internam, tunc temporis omni ſtudio debemus ſanguinem mittere.

62 Inſupèr Pueris ante decimum quartum annum ſanguinem detrahimus; dum potentior indicatio ità expoſtulat, non ad hæminas, nec ad animi vſquè defectum, ſed quantum eorum vires, & ætas permittunt.

63 Intèr indicantia ſanguinis miſſionem ſecun-

 dariò,

tiano;& per accidens reuulsionem, & deriuationem enumerandam existimamus, quatenùs vna celebratur ad coercendum improbum sanguinis motum ad contrariam partem; Altera quatenùs humorem ad partẽ aliquã iàm fluxũ euacuat.

64 Prohibẽtia sanguinis detractionem sunt cruditates cibales in stomacho existentes; nimia crapula; euacuationes tùm per sudores, tùm per aluum mulitæ; immoderata venus; ac tandèm virium imbecillitas.

65 Hyrudines venis applicatis, venæ sectionis vicem gerũt: hemorrhoidibus autèm admotæ per quàm maximam in febribus mali moris afferunt vtilitatem, & summè melancholicis insanientibus; Lyenosis, Renum, & Ilei inflammationibus conferunt: paritèr etiam, & cutaneis morbis valent.

66 Cucurbitulæ scarificatæ etiam ad sanguinis missionem tanquàm appendices referũtur, quæ virium dispendium non permittunt; & in acutis, in quibus sanguinem mitti vires non patiuntur, sunt audactèr accommodatæ.

DE PVRGATIONE.

67 PVrgationem, quam ex Galeno accepimus, esse euacuationem humorum sua praua qualitate peccantium; humores alieni à natura sanguinis cacochimiam inducentes, ipsam indi-

indicare censemus; & hæc, vel electiuè, vel minoratiuè, pro ut morborum status expostulauerit, est celebranda.

68 In morbo valdè acuto tempus purgationi accommodatissimum, est principium, si materia turget, antequàm vltrò, citròq; concitata in partem quampiam principem irruat; at nullo vrgente humore, status finis existit; Quò perfecta perficitur coctio, eò vacuatio spontè procedit; & sympthomatum sæuitia mitescit. Vtraq; purgandi occasio *ab Hippocrate aphor.* 10. *lib.* 4. desumitur: *Medicari in valdè acutis, si materia turget eadem die, tardare n. in ijs est malum.* Altera 22. *aphor. lib.* 1. *Concocta medicari, atquè monêre non cruda, neq; in principijs modò non turgeant: plurima verò non turgent.*

69 Nec in omni morborum incremento sempèr attendenda concoctio vitiatorum humorum; sed si obscurè materia cõcocta fuerit, hanc etiã quodam modo vacuare licet. Quod enim iussit Hippocrates *concocta medicari*, non solùm perfectè cocta, sed quouis modo complectitur.

70 Imò in ipso morbi principio nullis expectatis signis coctionis, dùm aderit affectus magnitudo, & symphtomatum sæuitia, nõ solùm dicimus pharmacum illicò propinatum ægrotantibus summæ vtilitatis existere; verùm etiam per quàm maximè necessarium, docente ipso Hippocrate; *dum morbi inchoant, si quid tibi videtur mouendum, moue.* Vndè nec prudentis Medici

existimamus concoctionē expectare, quæ fortasſis futura non erit; dùm aliquotiès ità insignitèr in nostro corpore peccant humores, vt nequeāt quocunq; adhibito præsidio reduci ad imperium naturæ, nec suscipere coctionem.

71 Hæc præcepta in imperādis pharmacis electiuè, vel minoratiuè humores trahentibus esse habenda censêmus; non verò in lenitiuis, quæ primam corporis sentînam subducere valent, & in principio cuiuscunque morbi dicimus conuenire.

DE METHODO MEDENDI.

72 MEdendi Methodum summoperè esse pernecessariam Medico existimamus, dùm est ratio administrandi cōtraria morbo, quæ desumitur pro actu practico docēte rectè mederi, qui argumentis, & experientijs pluries comprobatis adipiscitur; & ad tria Medicinæ auxilia reducitur: Dietam scilicet, Chirurgiam, & Pharmaciam. Vndè etiam ad sanationem capessendam res non naturales percipiendæ in consideratione ponuntur.

73 Ex istis Medicinæ instrumentis elicitur, solùm duo remedia verè magna appellari; sanguinis missionem scilicèt, & purgationem: ex eo, quià à magnis morbis indicantur.

74 In optima administrandi Methodo dicimus, quòd cura ordinata sempèr à remotione causæ mor-

morbum parientis debet exordium sumere; & deindè morbi expellere affectiones ex ipsámet causa in conseruari pendentes,

75 Quòd si in complicatione plurium affectuum perquàm plurima adessent contrà indicantia; adeò vt vnus prohiberet remedia alterius, debet Medicus cautè se gerere, & ad id, quod magis vrget incumbere; nec obstat, ly, subdere *altero non neglecto;* dùm morbi vrgentia, vbi imminet vitæ periculum, totam ad se trahit curationem, & contrarietas alterius morbi hanc exequi intentionem non sinit.

76 Prætereà in omnibus morborum euacuationibus à natura molîtis, si ipsa rectè operans videtur, sinendum opus ipsi naturæ. *Quæ indicata sunt integrè neq; mouêre, neq; nouâre, sed sinere oportet.* Dicebat celebris senex. At si diminutè, tunc temporis auxiliandus est motus naturæ imperfectè operantis ex eodem dicente, *Quò natura vergit, eò ducere oportet per loca conferentia.*

DE FEBRIBVS.

77 Febris, quæ *ignea caliditas* ab Hippocrate nũcupatur, definitur *à Galeno 6. Epyd.com. 1.text.29.* quòd sit *caliditas pratèr naturam in totum corpus effusa, sin minùs, aùt omninò, vel in nobilioribus partibus accensa.*

78 Generatur quippè febris, cùm calor natiuus in

in igneam naturam mutatur; nàm cum partes nostri corporis certam quãdam temperiem à primordijs obtineant, & omnes actu calidæ existentes ad naturales actiones obeundas aptè reddantur, si calor aliquis prætèr naturam in corde accenditur, & per totum corpus effunditur; & sic naturalis ille gradus intenditur: tunc temporis excessus quidam caloris, ac calida intemperies excitatur; vndè febris consurgit; ex quo nos deducimus, quòd ista caliditas, quæ febris nuncupatur, formalitèr prætèr naturam existit; materialitèr verò tota prætèr naturam non est; nam si calor ille in partibus non præstitisset; vtiq; superueniens, hunc gradũ intendere non potuisset.

79 Siccitas, quàm aliqui de essentia febris prædicarunt, non solùm ipsam essentiam non constituit; sed minimè in omnibus febribus morbosa est. Vndè sola caliditas de febris essentia existit.

80 Subiectum adæquatum febris est totum corpus, aut pleræq; eius partes, & potissimùm Cor, vt potè, in quo Calor ille primariò accenditur, & deindè per totum, nisi obstet impedimentũ, effunditur; nec febris euenire potest, quin priùs Cor incalescat.

81 Quamquàm proxima causa febris caliditas prætèr naturã per totum corpus effusa existat: attamèn, quæ calorem in corde excitare valent, variæ sunt causæ; & Galenus quinquè eas recen-

censet, Motum nempè, Putredinem, Cutis adstrictionem, aut calidi effluuij retentionem, Cõtactum rei calidæ, & Calidæ substantiæ admixtionem. Verùm ex istis causis aliæ per se primò, aliæ per accidens calorem excitant.

82 In triplici itàq; subiecto, in quo consistit calor prætèr naturam, triplex febris statuitur. Ephemera, Putrida, & Hectica.

83 Ephemera febris, quæ est intemperies calida habitudinalis cordis, & totius, à spirituum inflammatione procêdens, calorem dicit, qui factus est in spiritibus: fit verò in solidis, & humoribus: è conuerso putrida calorem factum in humoribus: in solidis verò hectica.

84 Nullæ adsunt ephemeræ febris differentiæ, quantùm ex ratione sui, at ratione annexorum, & respectù causarum possunt esse, vt aliæ exactè exquisitæ dicantur, aliæ exquisitæ non tamèn exactè. Exactè exquisita est, quæ accensionem in spiritibus habet, & sinè aliâ indicatione à febre, vnico terminatur die. Exquisita non exactè est illa, quæ etsi à spiritibus habeat accêsionem, & vnico die terminetur, attamèn indicationem à causa illam fouente, Medicus desumit.

85 Insupèr aliæ dicuntur nomine, non re ephemeræ; aliæ re, & non nomine; illæ febres dicuntur nomine, quæ vnico terminantur die, & accensionem in spiritibus non habent: re, quæ accensionem in spiritibus habènt, & vnico die nõ terminantur; vt est ephemera plurium dierum,

ad

ad cuius genus Synochus imputris per quàm facilè reduci potest.

86 Vlteriùs tres sunt ephemeræ febres, quæ frequentiùs in putridas degenerant; ea, quæ ex cutis densitate originem ducit; quæ ex obstructione; & quæ ex cibariorum cruditate.

87 Febris putrida est intemperies calida habitudinalis cordis, & totius ab humorum putredine procêdens. Humores putridi febrem parientes non per naturalem putredinem corrumpuntur, nec per putredinem secundùm partem, nec per combustionem; sed per putredinem violentam. Differt enim combustio à putredine violenta.

88 Quæ quidèm febris putrida ex putrescentis humoris specie, atq; ex situ duplex constituitur; continua, & intermittens. Continua itèm duplex; vna primaria nuncupatur, quam suscitat humor in venis maioribus putrescens; altera symptomatica dicta, quæ partis cuiuspiã putredinem, quàsi comes, insequitur; siuè ex visceris erisipelate, siuè ex phlegmone. Cõtinua primaria duplex; alia enim nullum habet augmentum, nullamq; remissionem, vt est Synochus putris dicta, quæ febris continens nuncupatur: alia verò quidèm est continua, attamèn aliquod incrementum, aliquamq; intermissionem interdùm obtinet, & continua nominatur, cuiusmodi est Tertiana continua, sub qua Causus continetur, ex sanguine bilioso subortus. Quotidiana cõtinua ex sanguine melãcholico.

89 Præ-

89 Præterea hæ particulares febres, aliæ vt simplices, aliæ vt compositæ desumuntur: simplices ab vno notificantur humore; compositæ à pluribus, diuersis tamen in locis, putredinem suscipientibus.

90 Rursùs simplicium febrium aliæ sunt exquisitæ, aliæ verò nō exquisitæ; quæ nothæ, & spuriæ etiam appellari solent: illæ quidèm ab vno, & simplici humore; hæ à pluribus vno, eodemque loco permixtis, & computrescentibus dependent.

91 Intermittens verò febris ab humore extrà venosum genus putrescente suscitatur; & eodē modo vna simplex, altera composita, dicitur. Pariter vna notha, & spuria; altera exquisita, & legitima, denominatur.

92 Inter febres compositas semitertiana, Hemitritæus à Græcis dicta, reponitur; quæ, etiam si quatuor modis fieri potest, attamèn, vt plurimùm, ex quotidiana continua, & tertiana intermittente, suboritur.

93 Febris pestilens non solùm calore, verùm maligna pernicie, aliàs spiritus, vt in Febre Anglica, aliàs humores, aliàs partium substantias contaminat. Hinc est, quòd non sempèr in excellenti gradu putredinis; sed in quâdam occultâ, veneficáque qualitate consistit.

94 Hectica febris est intemperies calida habitualis cordis, & totius, partes solidas occupans: generatur duob⁹ modis; vel enim sequitur alias

H febres,

febres; seu ardentes, seu diuturnas, cùm calor vehemens, aut diuturnus partes omnes peruadit, earumque humidum absumit, vel per se, & à causis euidentibus producitur; quæ si sunt leuiores, ephemeras; si vehementiores, Hecticas habent pro genere.

95 Hecticæ autem febris aliqui sunt gradus; primus est cùm rorida humiditas consumitur; secundus cùm carnosa, & adiposa substantia perit; tertius cùm etiam fibrosas partes calor inuadit. Et quidèm cùm rorida humiditas efferuescit, & nõdùm tota absumpta videtur, Hectica sine tabe dicitur; vbi verò humiditas absumpta, & exiccata conspicitur, Hectica cum tabe nominatur.

96 Tandem Hectica interdùm sola, & simplex existit; interdùm etiam cùm putrida febre connectitur.

97 Circa sanationẽ febriũ in genere dicim⁹, quòd febris quatenùs calida est intemperies, refrigerantia indicat; attamèn, quià in febribus non paruæ adsunt differentiæ; nàm sæpè causam insitam ipsam fouentem, & coniunctam inuenimus, etiam, & causæ à nobis habenda est ratio, vt non ità refrigerandum, vt causa foueatur, & quæ tolli debent in corpore, detineantur. Vnde si sanguis à statu naturæ recedit, & febrem parit; tunc sanguis est demendus, si humores, & potissimùm, qui nequeunt reduci ad imperium naturæ, sunt euacuandi; & sic cunctis indicationibus ritè elicitis, est satisfaciendum parnògali-

quoties calefacientia, seù aperientia; seù sudorifera sunt febribus adhibenda, quæ non per se, sed ratione causæ.

DE PVLSIBVS.

98 PVlsus est motus cordis, & arteriarum ex sistole, diastole, & quiete intermedia constans, à facultate vitali ad natiuum calorē moderandum editus. Sistoles est, qua Arteria in se ipsa considet, seque submittit, vt spiritus fuliginem exustione comparatam expellat. Diastoles est, qua Arteria se dilatat, vt aere nouo attracto, insitum calorem temperet, & spiritui pabulum subministret. Inter vtramque, media quies intercedit, eaq; gemina, vna superior, quæ diastolem, altera inferior, quæ sistolem, terminat.

99 Pulsuum differentiæ sunt duplices; aliæ absolutæ, aliæ comparatæ, seù respectiuæ. Absolutæ sunt quinque, quatenùs pulsus motus localis ex sit, & sic reducuntur ad mouens, mobile, spatium, in quo fit motus; & tempus, tam motus, quam quietis. Comparatæ sunt tres, quæ proportione, æqualitate, & ordinem respiciūt.

100 Sic pulsus iuxta primas differentias, quò ad mouens dicitur vehemens, aut imbecillis, vel languidus, vel moderatus; à mobili dicitur, durus, vel mollis, vel mediocris; à spatio, in quo fit motus, dicitur magnus, vel paruus, vel mo-

 dera-

deratus; à tempore motus, dicitur velox, siuè celer, siuè tardus, vel moderatus: à tempore quietis, dicitur frequens, seù creber, vel rarus, vel mediocris.

101 Iuxtà secundas differentias pulsuũ, quò ad proportionem, alius dicitur consonus, qui proprium rithmum seruat; alius dissonus, qui opponitur præcedenti, nullumque rithmum seruat; quò ad æqualitatẽ, alius est æqualis, alius inæqualis; quò ad ordinem, alius est ordinatus, alius inordinatus: quibus includuntur ceteræ pulsuum ferè innumeræ differẽtiæ, in praxi pluries expetitæ.

102 Causæ pulsuum continentes tres sunt; facultas, instrumentum, & vsus; siquidèm facultas è corde prouenit, & est efficiens pulsus causa princeps. Arteria est instrumentum, quæ mouetur à facultate proptèr vsum, & mouendi necessitatem. Vsus est finis, principem ad mouendum impellens; tribus de causis vrgens, præ spiritus penuriâ, caloris exuperantia, & fuliginum copia. Vndè triplex vsus existit, admodũ necessarius; generatio spiritus vitalis; contemperatio caloris natiui; & excretio fuliginum. At facultas, vel robusta, vel imbecilla est. Instrumentum, vel molle, vel durum, aùt mediocre. Vsus alius auctus, alius diminut⁹, vel moderat⁹.

103 Prætèr has causas continentes dantur etiã & aliæ alteratrices externæ, & internæ.

104 Pulsuum cognitiones habuisse Hippocratẽ colli-

colligimus 1. *de morb. mul.* 63. 4. *epydem.* 32. *& de hum. text.* 3. quapropter falsò afferitur, quòd Hippocrates pulsus nec nouit, nec obseruauit.

DE VRINIS.

105 Vrina est liquidum venosi generis excrementum ex secunda coctione alimenti in hæpate facta proditum, à sanguine in renibus segregatum, & ad vessicam delatum, in qua suam accipit formam.

106 Excrementum illud nihil aliud est, quàm serum quatuor humorum corpori nutriendo ineptum, quod sanguinem in hæpate vbiquè versum per venas ad singulas corporis partes alendas deducit. Vndè tantùm alimenti vehiculum nuncupatur.

107 Vrina constitutionis partium plurimarum, quas [illegible] bonæ, malæ [illegible] ncia [illegible]; dùm transiens per partes, benè, vel malè affectas, suas recipit impressiones. Vndè non solùm Iecoris, venarumq; omnium, in quibus fit hematosis; sed etiam renum, vreterum, vessicæ, ac penis affectus, & continentem eorum causam repræsentat.

108 Appellatione vrinæ Medici intelligunt nõ eam modò, quæ verè vrina est; sed etiã ex vrina, & reliquis liquoribus, & ex collectis in via recrementis factam confusionem; in qua quatuor potissimùm considerant, consistentiam, colo-

colorem, quantitatem, & contentum.

109 Sex sunt, ex Galeno, colores vrinæ; albus, pallidus, ruber, viridis, liuidus, niger, ad quos omnes cæteri penès infiniti vrinæ colores reducuntur.

110 Nullam vrinam crassiorem consistentiam habere suprà mediocritatem posse, nisi per cõturbationem, *ex Hipp. 2. progn. 9. & ex Gal. lib. 1. 1. de Crisibus* colligimus.

111 Vrina verè crassa triplex est, quæ turbida mingitur, & turbida sempèr remanet; quæ turbida, deindè clarescit; & clara, quæ mòx conturbatur.

112 Stultè putat Auicenna ex vrinâ posse, nùm fœmina conceperit depræhendi.

DE CRISIBVS.

113 CRisis est subita, & præceps in morbis perturbatio, & per euacuationem mutatio; quæ quatuor modis fieri reperimus. Aùt enim æger confestìm à morbis liberatur; aùt magnã in meliùs mutationem obtinet; aùt statim emoritur; aùt multò deteriùs euadit.

114 Mutationes illæ, quæ paulatìm fiunt, vel debilitatâ scilicèt virtute, vel morbo etiam soluto, non crises, sed solutiones nuncupantur.

115 Non ex proportione agẽtis ad id, quod patitur, vt Auer. credidit; neq; ex ratione consonantiæ, & dissonãtiæ, vt Amatus Lusitanus putauit,

tauit; neq; ex vi numerorum, vt veteres scriptis mandarunt; sed ex cœlestibus corporibus critici dies vim suam obtinent, maximè ex luna; cuius mutatione, crises morborum fiunt per septimanas, & quaterniones, attamèn hoc non dicimus fieri absolutè, sed pro materiæ dispositione, & ab ipsa natura morborum medicatrice.

116 Dies Medicus, qui viginti quatuor horis cōstat; criticus est dies decernens de pugna morbi, & naturæ, per euidentem ægri mutationem ad statum contrarium; dies enim decretorij ex Hipp. opinione sunt, vt plurimùm impares, si quidèm morbi principium ab eo die est enumerandū, quo æger febricitare inceperit; & non, quo caput dolere, lassitudinem sentire, aût alio quouis modo perturbari.

117 Dierum computatio in morborum recidiuis faciēda est, si vera sit recidiuatio, à die præcedentis morbi. In muliere pariente, si post naturalem partum febre corripitur, à die febris; si verò partus præter naturam extiterit, & febrem indè enatam constet, à die partus.

DE MORBIS PARTICVLARIBVS.

118 A Poplexia est repentina motus, & sensus, omnisq; animalis functionis priuatio, fitque in cerebro sensus, & motus, communi principio, dum affatim, & vniuersè omnes

eius

eius vētriculi meatus, porositatesq; humore implentur, aùt, dùm admirabilis retis arteriæ, per quas spiritus è corde in cerebri sinus defluunt, repentè obstruuntur, & coarctantur. Causa huius affectionis, estò vt plurimū sit crassior pituita; attamèn dicimus ex sāguine ibi fixato; ex humore bilioso illicò irruente; ex humore melancholico; ac etiam (sed raro) ex flatu apoplexiā posse progigni.

119 Epylepsia Apoplexiæ affinis, est temporanea conuulsio totius corporis, cum insigni facultatum animaliū læsione, cuius causa interior omnium humorum copia, & mordacitas, quæ repentè cerebri vētriculis, meatibusq; impertita, habet eos semiobstruere, & vellicare, vt æger cohibito animali spiritu corruat; vel est quædā venenata qualitas cerebri substantiæ valdè infensa; quæ quotiès agitatur, & prorepit in cerebrum, epilepsiam parit. Vndè hæ causæ, vel sunt in ipso cerebro, vel in ore ventriculi, vel in mulieris vtero, vel quandòq; in distantissimis corporis partibus, vt in Grammatico illo, de quo mentionem facit Galenus.

120 Paralysis est cuiuspiam partis nō totius corporis sensus, & motus priuatio; quamquàm imperfecta paralysis interdùm sensus premit constante motu; interdùm affieit motum, incolumi permanente sensu: fit aliàs ex debili apoplexiâ, & propriè paraplexia dicitur, aliàs ex stupore sensìm acuto, qui paralysis est nuncius, illa ferè, vt par-

vt partes omnes, quæ ſub capite ſunt, aut latus occupat: iſta partem determinatam corporis, vt linguam, oculum, maxillam, labium, brachium, & conſimilia offendit.

121 Cauſa paralyſim inducens, magnâ ex parte, eſt intemperies frigida, & humida; aliàs fit ab apoſtemate, alióue tumore comprimẽte neruũ, aut medullam; ſæpè quòq; fit à vulnere, caſu, fractura, vinculò arctiori, vertebrarum luxatione, & percuſſione: frequentiſſimè verò fit ab humoribus aquoſis, tenuibuſq; à cerebro ſæpè deriuâtis; ex quibus nerui imbibiti, & obſtructi animalium facultatum tranſitum non ſinunt.

122 Incubus eſt grauis corporis oppreſſio, & nocturna ſuffocatio, inſtrumenta anhelitus offendens, & vocem intercipiens, in quo ſenſus hebetantur, & ſtupefiunt, quemadmodùm mẽs, & imaginatio læditur. Cauſa eſt aliquotiès sãguinis copia, multotiès craſſior pituita, aut melancholia, non in cerebro, ſed circùm præcordia inhærens; ac etiam potiſſimũ ex nimia crapula, vel ex cruditate originem ducit; & ab ela is vaporibus reſpiratio læditur, vox ſupprimitur, & ſenſus perturbantur. Poteſt etiam fieri à Dæmone.

123 Vertigo eſt, quâ omnia circumagi videntur, ità cerebrum, & ſenſum agitans, vt obſeſſum, niſi adminiculis ſuffulciatur, in terrã procumbat. Huius cauſa proxima non eſt ſpirituũ circumuolutio, & fluctuatio; ſed calidus, te-

nuiſque vapor per arterias in cerebri ventriculos irrepens: vel eſt eorūdem ſemiobſtructio, quæ in plexu choroide ſpiritus in gyrum exagitans, & impellens, turbulentos, tenebricoſque ſenſus, motuſque reddit.

124 Conuulſio eſt contractio muſculorum versùs ſuam originem prætèr voluntatem; & de ſympthomate dicitur, & de morbo, à quo procedit: licèt, ſi proprietatē ipſius attendamus, de ſympthomate dicatur: duas habet immediatas cauſas, repletionem, & inanitionem. Eius tres ſunt ſpecies, prima quādò caput ad Thoracem vergit, & dicitur Emproſthotonos; aut quandò ſpatulas, poſterioreſque partes occupat, & Opiſthotonos nominatur; aut in nullam partem, ſed rigidè manet totum corpus, & Tetanus nuncupatur.

125 Angina eſt faucium, & ſummarum gulæ partium inflammatio, anhelitū, atq; deglutitionem, nullo vitio in pulmone, & in pectore exiſtente, impediens. Quamquàm aliquotiès eſt anguſtia internorum muſculorum gutturis ſinè inflammatione, ex faucium oppilatione. Cauſa, maiori ex parte eſt ſanguis, & humor bilioſus, qui per modum defluxus è venis iugularibus, vbì intensè redundat, eò impertītur: alia verò Anginæ ſpecies datur, quæ notha, & illegitima dicitur, & fit ex pituitoſa deſtillatione, quæ in fauces, ceruiciſq; muſculos decumbit, & hanc parit affectionem.

126 Tuſ-

126 Tussis est expiratio, quâ quicquid spirandi instrumentis molestum est, excutere natura contendit; his interdùm molesti sunt humores pratèr naturam, à capite illapsi, & isti humidam tussim excitant. Interdùm sunt alij affectus, vt est refrigeratio, exulceratio, tuberculum, quorum materia expelli minimè potest; & ab his tussis arida fit. Paritèr etiam ex ipsis instrumentis originem, & vehementiam tussis desumit; & hinc multæ emergunt species.

127 Pleuritis est inflammatio membranæ costas subcingentis, quæ pleura dicitur. Vndè etiam & morbus hic nomē desumit à parte affecta, videlicèt, cui insidet. Hinc est, quòd latus varij dolores exercent, qui tùm situ, tùm materia distant; alius habet causam inter costas, & mēbranam, quæ intùs illas subcingit; alius in musculis mesopleuris; alius in musculis, qui intrinsecùs costis incubant; vndè pleuritis aliquotiès exquisita, aliquotiès notha inuenitur; tùm etiā ex materia ipsam pariente; nam vel fit à phlegmone, vel à destillatione, vel à flatu.

128 Eius signa, pathognomonica appellata, puta difficilis respiratio, dolor pungitiuus, febris acuta, tussis, & pulsus serrînus, non sempèr necessariò inferunt pleuritidem propriè dictam existere.

129 Syncopes est præceps viriū lapsus, malūq; est morti finitimum; cum sit solutionis initium ipsius naturæ. Solet autèm Lypothymia synco-

pen præcedere; significat enim Lipothymia animi defectionem, absq; tamèn sudore, frigescẽtibus tantùm extremis corporis partibus vnà cũ virium præcipiti lapsu; tunc spiritus, vel dissoluti, vel aliqua sunt ratione vitiati, facultate vitali non omninò dissoluta existẽte; hæ affectiones originem ducunt ex immodicis vigilijs, ex animi pathematib9, ex summis euacuationibus; paritèr ex immodica cibariorum cruditate, ex humoribus corruptis, & ex infensa, & venefica qualitate.

130 Dysenteria est cruenta alui deiectio cum dolore, & ventris torsione; cuius tres sunt species; prima est, cum mucus intestinorum egeritur, deindè adeps intùs, illis adhærens, exiguo cruôre perfusus; secunda, cum interior intestinorũ tunica abraditur, cuius pelliculæ, & fibræ deiectionibus permixtæ apparent. Tertia cùm altiùs penetrante, & depascente vlcere caro ipsa, propriáq; intestinorum substantia putris, vel exesa procidit. Eius causæ sunt humores acres, mordacesq; putrefacti, in intestinis geniti, aùt aliùndè, è venis nimirùm maioribus ab Hæpate, Lyene, & Mesenterio, alijsue partibus circũstantibus influentes, anfractibus intestinorum inhærentes; vt sunt salsa pituita, bilis flaua, nec nòn adusta, & atra; vel à pharmacis venenatis, aùt excoriantibus; vel ab acribus alimentis ingestis.

131 Venæ sectionem in dysenteria dicimus cõueni-

uenire in principio, modò vires validæ sint, & potissimùm, si dolor aderit magnus, maximáq; inflammatio, aùt si aliqua sanguinis consueta euacuatio suppressa fuerit. De cætero pharmacum compressiuum maximè dysentericis conducit.

EX CHIRVRGIA.

132 CHirurgia est quædã Medicinæ pars, quæ morborũ curationẽ, sola manuũ industria aggreditur, cuius intentum existit luxata ossa, sedibus suis mota, reponere: fracta verò dirigere, in suamq; sedem cõpellere; nonnulla ferramentis aperire, secare, excidere, & vrere; ac proindè vulnerum, vlcerum, suppurantium humorum curationem suscipere, vnguẽtis linteola illinita manu cohibêre.

133 Vndè Chirurgiam in Theoricam, & Practicam diuidimus. Theorica enim est, quæ corporis humani structuram, ac etiam causas, & principia perpendit. Practica est, quæ medijs instrumentis quidquid manuum opera geri solet, edocet; cui annectitur Pharmacia.

134 Tumor apostema vulgò dictus, est affectus prætèr naturam ex triplici morborum genere, intemperie, mala conformatione, & continui solutione, in actionis læsionem coeuntium compositus, & annexus; cuius situs, aùt in sola cute existit; aùt cum cute subiectam quòq; car-

nem, vel tendonem, vel oedenem perupit.

135 Quatuor principales tumorum species describuntur, quæ à quatuor humoribus originẽ trahunt; nàm à sanguine efficitur phlegmon; ex pituita œdẽma; ex bile erysipelas; ex melancholia scyrrhus. Ad hos innumeri alij reduci possunt diuersis distinctis nominibus, pro causarũ efficientium, & partium excipientium varietate, & conditione.

136 Præterea ex serosa, aut flatulenta istorum humorum parte, omnia aquosorum tumorum genera, aqua, aut sero sanguinis plena fiunt. Talia sunt Hydrocephalon, Hydrocele, & Hydrops. Deinde flatulenti, & ventosi humores, in quibus includitur vapor quidam sub cute, aut inter membranas sub periostio, & alijs neruosis partib⁹, deniq; est Hydropis species, quæ dicitur Tympanites.

137 Hydrocephalon Infantibus recẽs natis peculiare est malum; dùm serosa humoris copia sua tenuitate fluxibilis per vasorum porositates aliàs inter cutim capitis musculosam, & pericraneum; aliàs inter pericraneum, & craneũ; aliàs inter craneum, & crassam meningem; aliàs in cerebri ventriculis exundat, & hanc parit affectionem: vel est causa externa; nàm à nimia obstetricis compressione, vel aliundè in ipso enixu, pariter à lapsu, contusione, & consimilibus originem ducit.

138 Vulnus, quod recens, cruenta, & absq; putredi-

[illegible] complexa, pendentque in [illegible]
tim particulis [illegible], lapsu, [illegible] in motu, conti-
nui solutio dicitur; vt tectè suam habeat cura-
tionem, per diuisarum partium vnionem insti-
tuendam esse censemus; ad quod assequendum
quinquè veniunt præstãda. Primum si quæ pe-
regrina corpori irrepserint, ea eximere; Secun-
dum, vulneris labia sibi inuicem optimè adiun-
gere; Tertium adiuncta labia cõtinere; Quar-
tum, vt pars læsa temperiem conseruet; & quin-
tum accidentia, si quæ fuerint, corrigere.

139 Cauterium, seù fonticulus est vlcusculum in extima parte humani corporis à re adurente excitatum, vt materiæ copia, motu, vel quiete peccanti paulatim vacuandæ exitus præbeatur; & tripliciter in morbis auxiliatur, reuellendo scilicèt, vt est in crure, dùm materiam ab hæpate ad caput fluentem reuellit; deriuando, vt in brachio, dùm materiam à capite in pectus dilabentem deriuat; Intercipiendo, vt in occipitio, dùm materiam à capite per spinalē medullam ad os sacrum defluentem intercipit. At in sutura coronali cauteria non esse inurenda dicimus, dùm ad partes infra morbum sunt habenda hæc præsidia; Insupèr dicimus nullo pacto conuenire alijs in locis, quin priùs corpus totũ sit euacuatum.

140 Ridiculi sunt, qui dicunt per cauteria substantiam effluere, & dissipari.

141 Vessicatorium est auxilium validissimè re-

uel-

uellens, deriuans, & euacuans quoscunq; humores, & pro reuulsione quidem tutissimum, & certissimum est remedium. In febre maligna summoperè confert, dùm humorem, tũ in quãto, tùm in quali peccantem ad se trahit. Vndè etiam à partibus principalioribus noxiam materiam reuellit: tutiùs tamen est ipsius vsus corporib⁹; aliquo pacto à sarcina expurgatis.

142 Insupèr somnos vessicatorium arcet in læthargo humidas, & soporosas euaporationes reuellendo; vigilias in phreneticis tollit, acres, molestasq; affectiones ad se euocãdo: Inuisceratum calorẽ intùs inurentem, foràs deducit; parti affectæ positum, materiã calefacit, secat, euacuat; Gũmatibus tandẽ gallicis est adaptatum.

DE CHIMIA.

143 Chimia, quæ elegãtior pars pharmacopeæ existit, secundùm genuinam sui naturã, est ars corpora naturalia composita, siuè concreta resoluendi, resolutáque pura, & viribus validissima reddendi, vt vtilia, & minoris molis Medico præbeant remedia; aliàs à Paracelso, latiori modo loquendo, Ars segregatoria puri ab impuro, fuit definita.

144 Quatenùs ad perfectam metallorum transmutationem inseruit, Alchimia dicitur, quam nos Medico necessariam non existimamus.

145 Sihè Chimica administratione, simplicia medi-

medicamenta ob substantiæ crassitiem, & impuritatem ægrotis citò prodesse nequeunt. Vndè artis beneficio puriora, & tenuiora, veluti in abstractam essentiam redduntur, & sic in curandis morbis aptiora fiunt.

146 Insupèr medicamenta, quæ à natura procreata plerumq; noxiam, & Medicæ intentioni cõtrariam qualitatem sortita sunt, hoc artis adminiculo, & Artificis peritiâ auferuntur.

147 Nec perire facultates medicamentorum dubium est; imò potiùs augeri, si naturam remedij spectemus, siuè Artificis industriam; nam si remedia vulgari modo parata per infusiones, & decoctiones, sua purgandi, vel discutiendi, aliudue simile præstandi, facultate nõ spoliantur: chimica quo iure diligentiùs ijsdem elaborata, facultatum denudata dicentur? Nam extractiones, & destillationes non vtilem facultatem demunt; sed quod vtilem illorum actionem retardare potest, seiungunt.

148 Corpus naturale mixtum in tria sua principia Salis, Sulphuris, & Mercurij, ex quibus à natura conflatũ est, tandèm hac Arte Hermetica resoluitur, & à partib⁹ ætherogeneis secluditur.

149 Vndè medicamenta Chymica ob efficaciã ab arte adeptam, morbis alioquin insanabilib⁹ sunt propinanda; dùm sua præstantiori vi, suprà causam morbificam venenatam habent imperium: attamèn statûtis temporibus sunt adhibenda, iuxtà veram medendi Methodum; Nec vnicuiq;

cuique morbo, temperamento, ætati, eadem numero competunt; vt temerè, & ignoranter à CIRCVLATORIBVS est obseruatũ. Nec ista tã valentiora præsidia ab ignaro, pseudóq; Artifice sunt habenda; nàm sæpè Mercurius nõ vitæ, sed mortis ægrotantibus extitit; quin etiam, & spiritus improbè elicitus nostrum hũc vitæ spiritum alioquin euanescere iubet.

DE ASTROLOGIA.

150 ASTrologiam Medico necessariam dicimus secundùm illam partem, qua Planetarum motus, & signa nobis demonstrantur; dùm Medicinam factitantes de ortu Pleiadum, & Arcturi debem⁹ callêre, vt Hippocratis nutibus satisfaciamus, dicentis, *considerandi sunt Arcturi, & Pleiadum ortus; in his enim magnæ fiunt in morbis mutationes*. Tùm etiam an signa in pharmacis imperandis extent ruminantia, an fluida, an aliqua malorum Planetarum coniunctio inueniatur; prætereà syderum aspectus, & consimilia.

151 Iudiciariam, & Diuinatricem, quæ chymæris aliquoties videtur suffulta, Medicis nõ competere dicimus, nec eam profiteri consulimus.

152 DOC-

75

152 DOctrinam Helmonticam tanquàm vanam, chymæricam, ſomniatam, ac fallacibus EXPERIENTIIS, & ſophyſticis rationibus innixã, reijcimus: à Doctioribus potiùs irridendam, quàm aſſequẽdam putamus; vt in ipſo ſuæ nouæ Medicinæ ORTV, condecentem OCCASVM nanciſcatur.

Feliciſſimis ſub auſpicijs.
Admodum Reu. P. Magiſtri FR. THOMÆ ARCVRI Ord. Præd. & Comitis Palatini D. PETRI PAVLI PISANI publicæ Vniuerſitatis Mamert. Lectoris, &c.

Diſputabuntur publicè in noſtra Protometropolitana Eccleſia, cum Illuſtriſſimorum SENATORVM interuentu.

Anno Menſe Die Hora

PRÆ-

PRÆTER ASSIGNATOS DATVR OMNIBVS ARGVMENTANDI LOCVS.

LAVS DEO,


Beatæq; Virgini Mariæ sinè labe conceptæ.

Hæc Theoremata Physicomedica nupera, vtpotè ex sapientissimis Senioribus nouo labore desumpta, RATIONIBVS, EXPERIENTIIS, Defendentis ingenio, industriáq; munita; perdigna censeo, vt Typis mandentur; præsertim cùm Fidei, bonisq; moribus minimè reluctent.

D. Antonius Maria Serfale C.R. S. Th. Lector.

Imprimatur
D. Fortunatus Carafa
Vic. Gen.

Imprimatur
D. Ioseph de Dominici F. P.



RELAZIONE

DELLE DILIGENZE USATE

NELL'ANNO MDCCXVI.

Per diſtruggere

LE CAVALLETTE.

